UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Catechismus generalis, pro omnium Sectarum Catechumenis Utilissimus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38601**

Visual Library

# CATECHISMUS GENERALIS PRO OMNIUM SECTARUM CATECHUMENIS UTILISSIMUS,

*Ab Illuſtriſſimo Cardinale Sanctæ Severinæ compoſitus, hactenus tamen nunquam editus, & à nobis in compendium redactus.*

## CAPUT I.

### Quo modo ſit recipiendus, & examinandus, qui noviter fidem Chriſtianam vult amplecti.

CUm adultus aliquis divina illuſtratus gratia, ex Gentilitate, ſeu Paganiſmo, vel Judaica perfidia, aut Mahometica, ſeu quavis alia infidelium ſecta, ad JESU Chriſti Domini noſtri fidem venire propoſuerit, à Sacerdote, vel Fidelibus, qui ejus converſionem noverunt, aut procurarunt, ſuadeatur ei, illico 1 ad Eccleſiam convolare, & adducatur ad Epiſcopum, ſi adſit, vel ad Sacerdotem, cui hoc munus incumbit. Is vero eum benignè ſuſcipiat, & de ejus voluntate ſciſcitetur, conditioneque, & ſtatu, ſervuſne ſit, an liber: & exquirat cauſas ejus converſionis, quidve eum commoverit, ut veniret ad fidem; atque ij, qui eum adduxerunt, teſtificentur, fideliter ſingula exponentes.

*1. Clem. l. 8 Conſtit. Apoſt. cap. 38.*

Exquirat item ejus mores, & vitam, ac ſumma diligentia ejus animum exploret, An ſcilicet indignatione aliqua, vel injuria provocatus, an alicujus odio, vel amore ductus id faciat, an ut pœnam aliquam temporalem evadat, aut lucrum aliquod, vel beneficium temporale inopia preſſus conſequatur, an aliud quid humanum experat, aut animo conceperit; vel ſi ſervus eſt, an ut perveniat ad libertatem. Quod ſi bono eum ſpiritu duci cognoverit, 2 gratias Chriſto Salvatori cum eo agat, ac ipſum admoneat, ut 3 quamprimum ab Infidelium conſortio, ne rurſum eorum involvatur erroribus, ſecedat. Hoc autem ſi vel ægro animo ferre, vel aliqua ex parte durius accipere videatur, Sacerdos ei demonſtret, infidelium conſuetudinem ſaluti credentium non expedire, ſed ab iſs prorſus recedendum eſſe dicente Propheta: *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.* Idque etiam ſuadeat, tum ad obedientiam fidei, ad ſuæ ſalutis ſecuritatem, promptè faciendum eſſe, exemplo Abrahæ amici Dei, cui cum Dominus vocans eum de Ur Chaldæorum, dixiſſet: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi, &c.* is ſtatim omnibus derelictis, verbo Domini obtemperavit, quemadmodum ſcriptura ſubjungit: *Egreſſus eſt itaque Abraham ſicut præceperat ei Dominus.* Neque enim ſalus venientis ad fidem in tuto eſſe poteſt, dum verſatur inter infideles, qui quanto conjunctiores ei fuerint, tanto gravius ejus ſalutari propoſito inſidiabuntur, & obeſſe poterunt; juxta verbum Domini, *inimici hominis domeſtici ejus.* Et idcirco parentibus, uxore, & filijs, atque omnibus alijs poſthabitis, DEI vocantis vocem ſequendam eſſe, ſicut idem Dominus in Evangelio docet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et rurſus: *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

*2 S. Dion. Areop. de Eccl. Hierar. cap. 2*
*3. Conc. Tolet. iiij. c. 9. & habetur 28. q. 1. cap. Judæorum filios*
*Jerem. 50*
*Geneſ. 12 & Act. 7.*
*Matth. 10*
*Luc. 14.*
*Matt. 10*

Ne autem ille conſanguineorum aut aliorum ſuorum amiſſione aut ſeparatione deterreatur, affirmet ei, pro carnalibus parentibus & conſanguineis, præter Patres ſpirituales, ac fratres in Domino, quos prope innumeros in Chriſtiana Religione comperiet, Patrem ſpecialiter habiturum Deum, Sicut Apoſt. cum Prophetis clamat: *Exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus; & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quamobrem illum hilari, & conſtanti animo, magnaque in DEUM fiducia eſſe debere.

*2. Cor. 6.*
*Num. 16.*
*Iſaiæ 52.*

Si vero eum non ſincerè ad fidem venire perſpexerit, moneat ne quem temporalem finem ſibi, ſed ſolam animæ ſalutem præponat, cum non ad temporalia, ſed ad ſalutem animarum Baptiſmi Sacramentum inſtitutum ſit; ac propterea ne fictè aut fraudulenter accedat, ſed anteactæ eum vitæ pœniteat, atque omnibus ſuperſtitionibus ſuæ ſectæ abrenunciet; ſi quidem 4 ex Gentilitate venit, idolis & ſimulacris, illaque horreſcat & deteſtetur; ſi vero ex Judaiſmo, Judaicæ perfidiæ & impie-

*4. S. Clem. l. 8. conſtit. Apoſt. c. 32*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pietati, ſi autem ex Saracenica, ſeu Mahometica Infidelitatis ſecta fuerit, præcipuè curandum eſt, ut non ſolum eidem ſectæ expreſsè abrenuntiet, ſed ipſi etiam Pſeudoprophetæ Mahometo, eumque ut impium hominem & ſeductorem deteſtetur. Et demum, ſi ex quacunque hæreſi ad Catholicam fidem veniat, ac nondum rectè baptizatus ſit, dictæ hæreſi abrenuntiet, illamque, & omnem aliam deteſtetur & anathematizet.

Cum 1 vero exiſtentes in peccato mortali, vel in peccandi propoſito permanentes, nequaquam baptizari debeant; 2 Augures, Divinatores, Magi, Sortilegi, Malefici, & Incantatores, in Catechumenos non recipiantur, niſi Diabolicis ejuſmodi artibus prius abrenuntient, atque earum execrabiles libros, & inſtrumenta corrumpant, deſtruant, atque comburant, qui etiam tempore probandi ſunt; Ita nec Mimi, Hiſtriones, aut Paraſiti, qui ad libidinem & peccata provocant, niſi vanas has artes deſerant. Neque 3 meretrices niſi meretricium; nec 4 lenones, niſi lenocinium deſerant. Nec adulteri, fornicatores, aut concubinarij, niſi adulteras, ſcorta, vel concubinas ejecerint, aut dereliquerint. Neque fæneratores, & Uſurarij, niſi à fænore, & uſuris penitus deſiſtant; & illas, ac malè acquiſita quæcunque reſtituant, aut ſaltem reſtituere proponant, cum certæ perſonæ extant, quibus reſtitutio facienda eſt. Neque 5 alij ſceleſti, & nefarij homines admittantur, niſi ſua ſcelera deteſtentur, atque ſinceræ pænitentiæ ſigna oſtendant.

*1 S. Clem. ubi proxime, & S. Thom. in 3. p. q. 68. a. 4. & a. 8*
*2 S. Clem. eod. c. 38. & Conc. Eliber. c. 62. Tom 1. Conc.*
*3 Idem S. Clem. ubi ſup. & Conc. Eliber. c. 10. & c. 44. & cap. 68*
*4 S. Clem cit. cap. 38*
*5 S. Clem. d. c. 38. Conc. Eliber. c. 73. & habetur 5. q. 6. cap. Delator.*

Si is, 6 qui ad fidem venit ſervus fuerit, quæratur ab eo cujus Domini ſit; ac ſi viri fidelis ſervus ſit, & domini teſtimonio commendetur, recipiatur; ſin minus, in eo recipiendo cautius agatur. Si vero ſervus fuerit alicujus Infidelis, recipiatur quidem, ſed deinde inſtruatur quemadmodum ſerviat & placeat Domino ſuo, ne Chriſtiana Religio inter Infideles blaſphemetur.

Si fuerit miles qui accedit, doceatur nemini injuriam facere, 7 neminem percutere; non calumniari, contentum autem eſſe ſtipendijs ſuis; neque etiam contra Chriſtianam, aut Catholicam fidem, aut ejus propugnatores militare; ſi parere noluerit, rejiciatur.

*6 Idem S. Clem. d. cap. 38. Luc. 3.*
*7 S. Clem. eod. cap. 38.*

Invigilet autem potiſſimum Sacerdos, ne quis ſimulet ſe velle fieri Chriſtianum, ut ſub converſionis prætextu, aliquem ex catechumenis ſubvertat, & à fide ſeducat.

## CAPVT II.

### Examinata & approbata vocatione, quid agendum ſit de filijs & uxore Catechumeni.

POſt hæc ſi talem invenerit eſſe eum, qualem oportet, qui fidem expetit, & in propoſito permanere; faciat ut is coram Notario, & teſtibus 8 det nomen ſuum declarans voluntatem ſuam, atque profitens ſe ſponte Chriſtianum fieri, & Eccleſiæ mandatis parere velle; ac ſi liberos habeat, aut alios ſuæ curæ commiſſos infantes, ſeu rationis uſum non habentes, ſe illos Eccleſiæ offerre, quandocunque illa voluerit baptizandos, etiamſi ipſum à ſancto propoſito, quod abſit deficere contingeret.

*8 S. Clem l. 3. Recogn. S. Dionyſ. de Eccl. Hierar. c. 2. S. Siricius Papa in ep. ad Himerium Tracon.*

Quod ſi habuerit uxorem, aut liberos, ſive alios ſimiliter ſuæ curæ commiſſos, in diſcretionis ætate conſtitutos, ſive majores infantibus, ſive proximos pubertati, ſive etiam puberes, minores tamen 25. annis, qui adhuc de ſuſcipienda Chriſti fide non deliberaverint, ij ab Infidelium cohabitatione, & conſuetudine amoveantur, & apud fideles Chriſtianos moribus & vita probatos, ſejuncti ab invicem in domo aliqua, vel alio loco tuto ſequeſtrentur, quo Infideles quicunque accedere, aut ipſos quovis obtentu alloqui prohibeantur, ſed ibidem à Presbyteris, & Religioſis perſonis ſæpe viſitentur, eiſque veritas fidei Chriſtianæ, ex Scripturis ſanctis, ex Religionis ipſius Sanctitate, & miraculorum gloria aperiatur, & prædicetur.

*c. 2. Tom. 1. Conc.*

Super hujuſmodi autem de ſuſcipienda fide deliberatione, non eſt præfiniendum certorum, aut quadraginta dumtaxat dierum ſpatium: cum enim ad converſionem prolixiore tempore plerumque opus ſit, eorum judicio ac prudentiæ, qui in illorum converſionem incumbunt, relinquendum eſt, ut pro eorundem diſpoſitione, longiori, aut breviori eos tempore detineant, prout ſecundum DEUM viderint expedire. Quod ſi interim convertantur, & declaraverint ſe Chriſtianos fieri velle, tunc ab hujus declarationis die numerandi ſunt quadraginta pænitentiæ, ſeu inſtructionis, ante baptiſmum dies, aut plures, prout ad eum ſuſcipiendum idonei cenſebuntur, ut & infra dicetur.

Si antequam convertantur aliqua ſigna, ſeu indicia proximæ converſionis dederint, quamvis aliquam diu ſic detenti fuerint, non facile poſtulantibus, aut urgentibus parentibus, aut conſanguineis, dimittantur, ſed adhuc per aliquot dies retineantur, quoad de eorum ſalute benè ſperari poteſt.

Dum autem ſic ad converſionem detinentur, præſertim qui Judæi ſunt, legitima ſua, & cæremonias ſervare non prohibeantur, dummodo non propter Paſcha, nec propter alias ſupervenientes ſolemnitates legales, ad Infideles redire, aut Infideles ad ipſos accedere permittantur, ſed ſi ea ſervare voluerint, domi, ubi detinentur, ſoli ſervent: ita tamen ut nec azyma, neque alia edulia prohibita à Chriſtianis, eis adminiſtrentur. Et interim ex ſcripturis Prophetarum ipſis oſtendatur, ad ea ſervanda Judæos amplius non teneri, quodque hujuſmodi obſervationes legales Meſſiæ adventu, velut umbræ exoriente ſole evaneſcere debebant, & evanuerunt. Cæteris autem cujuſcunq; ſectæ Infidelibus, ex ipſius ſectæ falſitate, cæremonias illas impias & inanes eſſe ſuperſtitiones, quibus alligatos eos Satan in errore detinet, demonſtretur. Proponaturque eis verus DEI cultus in Spiritu & veritate; nam & tales vult DEUS cultores, qui in ſpiritu & veritate, non in mendacijs & erroribus colant & adorent eum.

*9 Conc. Tolet. 4. c. 56. Tom. 2. Conc. & habetur diſt. 45. c. de Judæis.*
*10. S. Greg. lib. 2. Regiſt. ep. 15 ad Pammach. Epiſcopum Neapol. ſeu c. 25. & habetur diſt. 45. Qui ſincera*
*11 Idem S. Greg. l. 7. ep 5. ſeu c. 5. ad Jannar. Epiſcopũ Calar.*

Dum etiam ſic detinentur, 9 nulla eis, ut ad fidẽ convertantur, vis aut injuria inferatur, 10 neq; durè aut aſperè, ſed humaniter & benignè tractentur, ac eis omnia neceſſaria largiter adminiſtrentur. Quin & ab eis, 11 cum omni benignitate, manſuetudine, & charitate potius voluntas exquiratur, quam coactè extorqueri videatur.

Uxor converſi, ſi poſt omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, ſed obdurata in infidelitate permanſerit, dimittatur: caveat autem vir, ne ei unquam libellum repudij ſecundum legem Moſaicam tradat; alioquin ſi id faceret tanquam judaizans puniri deberet. Neque 12 cum ea cohabitet, 13 propter periculum ſubverſionis fidei, & blaſphemiæ ac contumeliæ in Creatorem; niſi propter ſpem, & certa indicia futuræ converſionis uxoris, Prælatus ſincera Mariti fide & ſtabilitate

*12. Conc. Tol. 4. c. 26. & habetur 28. q. 1. Judæi.*
*13 c. Si infidelis 28. q. 2. & cap. Quanto. de divortiis & S. Th. in 4. diſt. 39. q. 1. art. 2.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*1 Greg. Papa 9. Decret. cap. Ex literis de converſ. Infid. Concil. Tolet. 3. c. 14. tom. 2. Conc. Tol. 4. c. 62. quod habetur 28. q. 1. c. Judæi.*

litate confiſus, id ei ad tempus judicaverit concedendum. Quod etiam ſervandum erit, ſi uxor converſa fuerit ad fidem, & vir permanſerit infidelis.

Neque 1 filij infantes, aut lactentes apud matrem, quæ à viro fideli deceſſerit, relinquantur, propter periculum; ne eorum ſcilicet ſaluti, aut vitæ inſidietur, neve eos educando ad infidelitatis errorem adducat; ſed ſub patris converſi, aut eorum, qui Catechumenis præſunt, cura ſit, ut apud mulieres Chriſtianas non ſuſpectas alantur, atque in fide educentur.

*2 Citat. c. Judæi ex Conc. Tol.*

Si autem uxor convertatur ad fidem, & vir maneat in infidelitate, ipſa quoque dabit nomen, & coram Notario, & teſtibus ſe 2 Chriſtianam fieri declarabit, ac filios, & alios, ſi quos habet ſuæ curæ relictos, infantes, ſeu nondum uſum rationis habentes, Eccleſiæ, ut ſupra offeret baptizandos. Qua quidem declaratione facta, ſtatim filij & alij prædicti, opportuna adhibita cautelâ, 3 auferantur à patre vel alijs Infidelibus, & apud eam, vel in domo Catechumenorum, vel alibi apud Fideles educentur, ac fidei myſterijs, quantum per ætatem licebit, initientur, atque una cum matre, cum opportunum fuerit, baptizentur.

*3 Conc. Tol. 4. c. 59. & habetur 28. q. 1. cap. Judæi.*

Lactentium vero puerorum ratio, & diligens cura habeatur, ut propter ætatis imbecillitatem, ac periculum eorum Baptiſma non differatur, ſed citius etiam ante matrem ipſam, baptizentur.

Minores etiam filij, alijque illius curæ concrediti, itidem ſequeſtrentur, ut eorum de fide ſuſcipienda voluntas exploretur, quemadmodum viro veniente ad fidem faciendum eſſe ſuperius dictum eſt.

Pueri autem, qui parentibus infidelibus ſunt orbati, ſi conſanguineos proximiores ex linea paterna, vel materna Chriſtianos habeant, veluti fratrem, ſororem, patruum, amitam, avunculum, materteram, aut alium ulterioris gradus maſculum, vel fæminam, apud eos gradus tamen inter ipſos Fideles prærogativa ſervata, educentur, & baptizentur.

Denique illud generaliter ſervandum eſt, ut in pari gradu, favore fidei, nulla habita ſexus ratione, potior ſit conditio conſanguineorum Fidelium, quam infidelium; ita, ut verbi gratia, amita vel matertera Chriſtiana, patruo, aut avunculo Judæo, aut alterius ſectæ infideli, ſemper præferatur.

Ad hæc pueri in ſeptimo, vel circiter, ætatis anno conſtituti, qui ſe uſu rationis pollere oſtendunt, ad fidem ſponte venientes, recipiantur inter Catechumenos, & aliquamdiu probentur; eorumque voluntas coram Epiſcopo, vel perſonis non ſuſpectis, ſi parentes eorum infideles urgeant, aut ipſorum converſioni contradicant exploretur. Qui ſi in propoſito permanſerint, 4 nullo modo illis reddantur, ſed baptizentur, & in Chriſtiana pietate inſtituantur.

*4 Citat cap. Judæorum 28. q. 1.*

Si fide dignorum teſtimonio, pueros hujuſmodi, aut aliquos adoleſcentes, vel puellas, vel alios quoſcunque fidem expetere, & à parentibus prohiberi, vel propinquis, aut propterea domi incluſos teneri, vel quovis modo impediri conſtiterit, ab eis abducantur, & in domo Catechumenorum, aut alio tuto & honeſto loco ſequeſtrentur, ubi in fide inſtruantur, & ad eos non permittantur accedere infideles, neque aliæ quævis ſuſpectæ perſonæ.

Mulieribus etiam quæ Chriſtianam fidem ſuſcipere cupiunt, ſed ob parentum, vel conſanguineorum Infidelium timorem, vel reverentiam, aut ob fæmineam verecundiam non audent domo egredi, aut accedere ad Eccleſiam, & declarare ſe velle fieri Chriſtianas, ſi per litteras, aut internuntios, aut alio quovis modo, ſuam voluntatem indicaverint, auxilium afferatur; & de propria domo, etiamſi tunc, ne ſe prodant ſuis, aut alia de cauſa, renuerent vel reclamarent, 5 amoveantur, & in domum Catechumenorum, aut in alium tutum & honeſtum locum ducantur, ubi apud pias & honeſtas perſonas teneantur, & explorata deinde atque comperta earum libera voluntate ſuſcipiendæ fidei, in ea diligenter & religioſè inſtruantur.

*5 Conc. Tol. citato cap. 59.*

## CAPUT III.

### De habitu, quo ſunt induendi Catechumeni, & de loco ubi ſunt inſtituendi, & de tempore Catecheſi neceſſario.

*6 S. Clem. lib. 7. conſt. Apoſt. c. 39 quomodo oporteat Catechumenos inſtitui, & S. Dionyſ. de Eccl. Hierar. c. 2 facit etiam quod habetur in ordine baptiſmatum Syri Patriarcharum.*

POſtquam igitur aliquis ex Infidelibus venerit ad Eccleſiam, Baptiſmi gratiam petens, ac nomen dederit, ſeu ſuam declaraverit voluntatem, ut ſupra, 6 Sacerdos DEO, quod iſtum ad ſe vocaverit gratias agat, & oret, ut dirigat voluntatem ejus, & oculos cordis illuminet, ad intelligenda mirabilia ſua & judicia juſtitiæ ſuæ, ut odio habeat omnem viam injuſtitiæ, & ingreſſus viam veritatis idoneus fiat lavacro regenerationis, in adoptionem filiorum DEI, & in libro viventium connumeretur. Et mox faciat ut capitis tegumentum, ſive aliud ſignum, quod ad diſtinctionem Chriſtianorum deferebat, abjiciat, & habitum induat quem Fideles ſolent. Tum eum admoneat, ut 7 abrenuntiet Diabolo, & omnibus ejus operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impietati, &c. & 8 credat in DEUM Patrem omnipotentem, & in JESUM Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum, & in Spiritum ſanctum, unum DEUM in trinitate perſonarum. 9 Poſtea exufflet ab eo ſævam maligni ſpiritus poteſtatem, dicens (*Exi ab eo ſpiritus immunde, &c.*) & 10 Cruce ſignet eum in fronte, & in pectore dicens: (Accipe ſignum Crucis tam in fronte † quam in corde †, &c, & imponat manum ſuper eum, & 11 dicat aliquam orationem. Ac deinde is 12 introducatur in domum Catechumenorum, & inter Catechumenos Eccleſiæ adnumeretur, & in libro deſcribatur.

*7 S. Clem. lib. 3. conſt. Ap. c. 18. & l. 7. c. 40 & 41. Raban. de inſtit. Cler. lib. 1. c. 27. & habetur de conſec. diſt. 4. c. Primum & refert S. Antonin. 2. p. hiſt. 14. c. 1. parag. 1.*

*8 Raban. cit. cap. 27*

*9 Rab. ibid. & habetur de conſec. diſt. 4. c. Poſtquam*

*10 Raban. ibid. & de conſecr. diſt. 4. c. Poſtea ſignatur. Et S. Antonin. ubi ſupra.*

*11. Raban. cit. c. 27. & S. Antonin. ubi ſupra.*

In ea autem domo 13 Sacerdos catechizet eum divinis ſermonibus, & det ei monita ſalutis, quemadmodum poſt agnitam veritatem vivere debeat, & 14 ſæpius exorcizet aliquibus exorciſmis.

Domus autem Catechumenorum in præcipuis urbibus, & inſignibus oppidis, ubi Judæi, alijque Infideles habitant aut commorantur, inſtitui debet, cui viri Religioſi, & exploratæ fidei in rectores,

12 *S. Clem. l. 2. recogn. in fin. S.* Baſil. *ſer.* 1. *de Baptiſ. p.* 2. 13 *Liber Sacramentorum Vatic. M. S. & ordo Rom. M. S. Achil. ſtatij.* 14 *Raban. cit. c.* 27. *de Conſ. diſt.* 4. *c. Dehinc. Et S. Antonin. ubi ſup S. Siricius PP. in epiſt. ad Himerium Tarrac. c.* 2. *tom.* 1. *Conc. Celeſt. PP.* 1. *ep.* 1. *ad Epiſc. Gall. c.* 12. *eod. tom.* 1. *Conc. S. Leo PP. in epiſt.* 4. *ad Epiſ per Siciliam conſtitutos cap.* 6 *& epiſt.* 80. *alias* 78. *ad Epiſcopos per Campaniam, &c. eod. tomo* 2. *Concil.*

res, & miniſtros præficiantur. In 1 ea vero fœminæ à maribus, pueri ab indultis, viri ab uxoribus diverſas atque diſtinctas manſiones habeant, ac his Presbyter probatæ vitæ, & doctrinæ conſtituatur Catechiſta, qui eos aſſiduè in fide erudiat; ad Eccleſias ut ibi orent ducat, cum ipſis ſæpe colloquatur de rebus ad fidem & ſalutem pertinentibus, atque eis explicet ea, quæ in Eccleſijs conſpiciuntur, circa externum cultum, altaria, ſacras imagines, & ornamenta.

Ex ea autem domo, dum in pænitentia, & Catechiſmo degunt, raro, & non niſi rationabili cauſa Catechumeni egredi permittantur, nunquam vero ſoli, ſed ſemper cum comite fideli; neque ſuos, vel alios infideles adire, neque per viam eos alloqui, neque 2 cum eis cibum ſumere, aut negotia tractare ſinantur.

Neque vero infideles permittantur ad domum Catechumenorum accedere, ſed cum eam prætereunt, procul inde recedere confeſtim jubeantur.

Interim in ipſa domo Catechumeni otioſè ne vivant, ſed horis quibus catechizantur, & diſcunt ea, quæ oportet, exceptis, in exercitatione aliqua corporali, vel arte quam callent, vel in domus obſequijs occupentur.

Ubi autem Catechumenorum domus nulla eſt, majores & adulti mares detineantur apud Fideles, & timoratos viros, vel in aliquo Monaſterio, vel domo probatorum Monachorum, aut aliorum Regularium: fœminæ vero apud nobiles, & honeſtas Matronas. Minores autem, & impuberes ſimiliter apud pios viros, vel apud probas & Religioſas mulieres ſequeſtrentur, fide, & moribus inſtituendi. His quoque eruditus aliquis & pius Sacerdos in Catechiſtam præficiatur, qui eos frequenter inviſat, & catechizet.

Tempus autem Catechiſmi licet 3 quadraginta dierum ſpatio ſoleat definiri, experientia tamen docet, quæ & 4 ſacris canonibus conſona eſt, diuturniorem Catechiſmum valde utilem eſſe ad Baptiſmum dignè recipiendum, & poſtmodum eo recepto in Chriſtiana diſciplina perſeverandum. Qua in re habenda eſt ratio perſonarum venientium ad fidem. Nam illis 5 qui antea benè converſati fuerunt, & ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habent, quique docilitatem & pietatem præ ſe ferunt, quadraginta dierum catechiſmus ſufficiet, ac interdum brevior, ſi ipſi ante quadraginta dies ſatis idonei ſint, & juſta de cauſa ita fieri expediat, de licentia tamen Ordinarij, aut alterius Superioris. Qui vero rudiores & non adeo dociles, ſed tardioris ingenij fuerint, ad rudimenta fidei addiſcenda, atque ad ea, quæ ipſos ſcire oportet percipienda: ſimiliter, & qui malis moribus præditi fuerint, quamvis hebete ingenio non ſint, & bene omnia, quæ ad doctrinam Chriſtianam ſpectant, didicerint, ut ſi ſuperbi, elati, contentioſi, contumelioſi, vaniloqui, ſeditioſi, inobedientes, indevoti, ſimulatoreſve, aut rerum temporalium nimium cupidi fuerint, qui denique priſtinos mores, & vitia adhuc retinent, hi non ſunt tam facile baptizandi, ſed expectandum, donec priore vitæ conſuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores, & doctrinam evidentius dignoſcatur.

Infidelium quoque 6 Sacerdotes & Magiſtri, & hi, qui ſuperſtitionibus ſuæ ſectæ adhuc videntur addicti, tamdiu probentur, quoad illas deſeruerint, & à ſe penitus abdicarint.

Rabbini 7 vero Judæorum, qui antea divinas ſcripturas ſcrutati, per eas illuminati fuerint, ac bonis moribus alioqui pollent, non tam longo indigent Catechiſmo; niſi forte & ipſi cæremonijs & ritibus Judaicis nimium dediti ſint: quia tunc diutius in Catechiſmo, donec ab eis diſſueſcant, retinendi ſunt.

1 Cyril. Hieroſ. in præfatione in Catecheſ.
2 S. Clem. l. 2. recogn in ſin facis Conc. Agathen. c. 40. & habetur 28. q. 1. cap. Omnes deinceps.
3 S. Siricius Papa in ep. ad Himerium Epiſc. Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. S. Greg. PP. lib. 7. Regiſt. epiſt. 24. ad Fantinum defenſ. & habetur de conſec. diſt. 4. c. Ne quod abijt S. Hier. in epiſt. ad Pammachium adverſus err Ioan. Hieroſ. tom. 2 Epiſt. Et S Cyril. Hieroſol. in præf. Catech.
4 S. Clem l. 2. recognit. & l. 8. conſtit Apoſt. c. 28. Tertul lib. de Baptiſ adv. Quintillam cap 18. apud Iac. Pamelium to. 3. S. Conc. Nicen. 1. can ſeu c. 2. tom. 1. Conc. Conſtantinop. VI. Syn. can. 95. to. 2. Conc. Eliber. c. 4. 11 & 42. Agathen. c. 34. tom. 1. Concil. & habetur de conſec. diſt. 4. c. Judei
5 Conc. Eliber. c. 4.
6 Idem Conc. Eliber. c. 4
7 S. Clem. l. 8. conſt. Apoſt. c. 38.

Qui à partibus infidelium ad Regiones Chriſtianorum, ut Baptiſmum ſuſcipiant venerint, diligenter examinentur, & diu probentur. Ac ſi vernaculam linguam Chriſtianorum ejus Provinciæ, ad quam pervenerunt, non intelligant, per Clericos idoneos, & interpretes Chriſtianos, qui eorum linguam probè norint, in fide & moribus inſtruantur: ſi autem interpretes deſint, euſque in Catechiſmo detineantur, dum linguam ejuſdem Provinciæ intelligant, & interim eorum Baptiſmus, niſi neceſſitatis caſus occurrat, differatur. Verum ubi Presbyteri & Clerici deſunt, nihil impedit, quo minus 8 fidelis laicus, peritus tamen ſermonis, & moribus gravis, adhibeatur, qui illos privatim doceat, & catechizet.

8 S. Clem cit. c. 38.

Hortandus eſt autem, qui Catechumenis erudiendis vacat, ut hoc catechizandi munus, adeo illorum ſaluti neceſſarium, libenti promptoque animo adminiſtret, ac alijs etiam 9 bonis operibus anteponat.

9. S. Clem eod. c. 38.

Qui metu ultimi ſupplicij, aut alterius pœnæ temporalis vitandæ cauſa Chriſtianam fidem amplexi ſunt, aut amplecti volunt, longiori tempore quoad licebit ſunt probandi; & niſi ex indulgentia Principis, aut Magiſtratus pœna fuerint liberati, apertè eos moneri oportebit, Baptiſmi Sacramentum, pœnam non remittere temporalem, nec ſibi ad Eccleſiam confugiendum eſſe ſpe immunitatis, ſed ut ſempiternam pœnam evadant, accepta per Baptiſmi lavacrum remiſſione peccatorum, & ab omni reatu mundati vitam conſequantur æternam. Atque hi quidem in carcere & tuto loco catechizentur, humaniterque tractentur; ac ſi veræ pœnitentiæ, & recti in fide propoſiti ſigna oſtenderint; Sacerdotes, vel qui Catechumenorum curam gerunt, pro eis apud Principes & Magiſtratus intercedant, ut in ſuſceptæ fidei, & ſuſcipiendi Baptiſmi reverentiam, ultimum eis ſupplicium, vel pœna temporalis remittatur, aut ſaltem in mitiorem commutetur.

Servi ſimiliter diu probentur, & edoceantur, per Baptiſmum ipſos à temporali ſervitute Dominorum non liberari, ſed à ſervitute diaboli, & peccati, ut Chriſti ſervi efficiantur, cui ſervire regnare eſt. Verumtamen eorum Domini moneantur, ut eos tanquam æterni Domini conſervos 10 benignius tractent, & ſtatis diebus, in domum Catechumenorum, vel ad Eccleſiam mittant, ut catechizentur, ac eos à fide non deterreant, vel avertant, neve ullo modo impediant; alioqui quod de fide malè ſentiant, redderent ſeſe ſuſpectos.

10. S. Clē ibidem.

Si 11 Catechumenus uxorem habet, aut Catechumena virum, doceatur uterque ſuo connubio contentus eſſe. Si ſint ſoluti, diſcant non fornicari, ſed poſt acceptum Baptiſma, niſi cælibatum amplecti, & ſe continere maluerint, juſtis nuptijs in Domino copulari.

11. Idem S. Clem. eod. c. 38

Si quis autem ex Mahometica, vel alia ſecta, qua plures uxores ducere & habere licet, Chriſto nomen dederit, aut dare voluerit, admoneatur, illud neque naturali, neque divino, aut humano jure fas eſſe; ac proinde prima tantum uxore, ſi legitimè ducta fuerit, retenta, reliquas dimitti oportere: quod ſi fecerit, & illa fidem ſuſceperit, matrimonium inter eos ratum erit: ac ſi alias dimittere noluerit, inter Catechumenos non recipiatur.

## CAPVT IV.

### De præparatione generali ad Baptiſmum, Catechumenis perſuadenda.

1. S. Clem l. 3. Recogn & l. 7. conſt. Apoſt. c. 23. Tertull. l. de Bapt. adverſ. Quintillam c. 20. tom. 3. apud Jacobum Pamelium S. Greg. Naz. orat in S. Baptiſma. S. Siricius PP. epiſt. ad Himerium Tarracon. c. 2 tom. 1. Conc. S. Leo PP. ep 4. ad epiſc Siciliæ c. 6 & epiſt. 80. alias 78. ad Epiſc. Campaniæ.

QUo tempore Catechumeni in Catechiſmo, & probatione ſunt, doceantur non temerè, non inconſultè, non imparati ad Sacramentum Baptiſmi accedere, ſed juxta illud *Actuum Apoſtol.* cap. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unuſquiſque veſtrum*, debere retroactæ vitæ pænitere, novam incepturos; quamobrem, & in primo ſcrutinio, cinere in pænitentiæ ſignum conſperguntur. Hanc autem præ ſe ferre etiam debent & operibus, & exterioribus ſignis, nempe humili ac modeſto habitu, abjectiſque pretioſis veſtibus, & curioſis. Itaque ad balnea, theatra, ludos, ſpectacula, & hujuſmodi loca non accedant, ac ab omni ſpecie mali abſtinentes, ſobriè, piè, & caſtè vivant, & à proprijs etiam uxoribus ſe contineant.

Præterea 1 crebris orationibus, geniculationibus, lacrymis, vigilijs, jejunijs, & ſimilibus pænitentiæ operibus, quæ in Baptiſmo adultorum ex antiquo Eccleſiæ more præmitti conſueverunt, aſſiduè vacent, pauperum miſereantur, eleemoſynas ſecundum facultates ſibi à DEO datas largiantur, & in alijs pijs charitatis officijs ſe exerceant, atque ſemetipſos in omnibus probent. In Catecheſim animum intendant, & quotidiè congruo tempore, mane ſcilicet, & veſpere inſtruantur. Eccleſiam frequenter adeant, in qua tamen ſeorſum ab alijs Fidelibus orent, & miſſæ tantum Catechumenorum interſint.

2 Concil. Neocæſarien. c. ſeu can. 5. Conc. Nicenum c. ſeu can. 14. alias 13. tom. 1. Conc. & refertur. à Conc. 6. Carthagin. in ep. ad Bonifac. Pap. 1 eod. tom 1. Conc. Concil. Elib. c. 68.

Si quod 2 grave peccatum interim admiſerint, correctioni, & coërctioni ſubjiciantur ſui Rectoris, ſeu Præfecti, qui juxta delicti qualitatem in eos animadvertat, ea tamen moderatione, ne pænæ acerbitate deterreantur, ac à fidei propoſito recedant.

Si tentatione aliqua, dum in Catechiſmo ſunt, à fide defecerint, & ad infidelitatem redire voluerint, non ſtatim propterea dimittendi ſunt, ſed aliquantiſper detinendi. Interim vero piorum virorum ſuaſionibus, hortationibus, & oratione detur opera, ut reſipiſcant, qui ſi nihilominus ſanis ſermonibus non acquieſcentes, in infidelitate perſtiterint, abire ſinantur.

Liberi vero eorum, & alij, quos Eccleſiæ Chriſtiana fide imbuendos obtulerunt, retineantur, & baptizentur, ſi nondum fuerint baptizati; niſi ſint adulti, & ipſi fidem ſuſcipere renuant, ac recedere velint.

3 S. Cyrill Hieroſol. in procatecheſi ante fin. 4 S. Siricius, & S. Leo Papa in ſupra citatis epiſt.

Propter 3 tentationes autem, quas Catechumeni frequenter patiuntur, eos ſæpe exorcizari 4 oportet, eiſque à presbytero ſæpe manus imponi: curandumque eſt, ut pro ipſis in Catechumenorum domo & Eccleſia, ac in alijs Eccleſijs, Monaſterijs, & pijs locis aſſiduæ orationes fiant. Sed & ipſi moneantur, ut cum de incrudelitate tententur, vel modicæ ſe fidei eſſe agnoſcunt, ad Chriſtum converſi ſæpius dicant: *Adjuva Domine incredulitatem meam.* Item, *Adauge Domine fidem.* Atque humiliter & inſtanter orantes, ſtabilis fidei donum petant. Et ſi quando à malignis ſpiritibus eos corripi, & vexari contingat, quod nonnunquam evenire ſolet, ſimiliter ſuper eis imponantur manus, & fiant exorciſmi, & orationes.

Cum Catechumenis præterea mitius agendum, non aſperè, nec durè tractandi ſunt, neque ea, quæ provectiorum in fide, ac perfectiorum ſunt, eis facienda ſtatim proponi debent, juxta illud Apoſtoli ad Corinthios: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis.* 1. Cor. 3. Neque etiam Chriſtiana perfectio ab eis exigenda eſt, juxta ſententiam Salvatoris: *Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & pejor ſciſſura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt: ſed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.* Matth. 9. Sed paulatim Chriſtianam perfectionem edocendi ſunt, & interim quædam ipſorum imperfectiones, quoad in Chriſtiana pietate coaleſcant, Chriſti exemplo, qui diu Diſcipulos ſuos ſuſtinuit, tolerandæ ſunt. Qua in re imitandus eſt etiam Apoſtolus, qui ait, *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* 1. Cor. 9. Quapropter in principio Catechumeni ad ea, quibus nondum aſſuefacti ſunt, aut quæ alioquin ipſis ſunt difficilia, nimium urgeri, aut cogi non debent, modo abſit contemptus, aut ſuperſtitio.

Qui itaque flexis genibus orare aſſueti non fuerint, non diu in genuflexione, donec ſic orare aſſueſcant, detineantur.

Ad carnium, aut aliarum eſcarum ſibi olim Religione, aut lege vetitarum eſum, qui ad eas nondum aſſueti in ijs ſumendis nauſeam patiuntur, eos compelli non oportet: ſufficiat 5 autem, ſi illas interim deguſtent, aut olera cum ipſis cocta comedant, ne eas abominari, aut execrari, aut propter conſcientiam eis veſci nolle videantur: vel ſi ſaltem alios cibos in Chriſtianorum, aut vaſis decoctos, aut patinis appoſitos, non rejiciant, aut diſcernant. Ita & in conſimilibus caſibus, qui Catechumenis præſunt, omni cum charitate, & diſcretione erga ipſos, ne linum fumigans extinguant, probè ac prudenter ſe gerant.

5 Fac. Conc. Ancyran. cap 13. juxta 1. vol. 14. juxta 2. & 3. editionem tom. 1. Conc. Mart. Bracar. collect. can. Græc. Synodorum c. 58 tom. 2. Conc. & habetur apud Gratian. dist. 30. cap. ult. Conc. Brac. 1. c. 14. al. tom. 2. conc. Concil. Gangrenſ. can. 2. tom. 1. Conc. 6 S. Clem lib. 7. conſtit. Apoſt. c. 23. & c. 40. S. Baſil. ſer. 1. de Bapt. l. 1. & 2. S. Hier. in Matth. c. 28. tom. 6 Raban. l. 1 de inſtit. Cleric. c. 25. de Baptiſm. Sacram.

## CAPVT V.

### De doctrina fidei proponenda, tam doctis, quam rudibus; etiam de ordine quo eſt declaranda.

QUoniam vero ante Baptiſmum ea, quæ credere, & quæ ſervare debent, 6 edocendi ſunt, juxta præceptum Domini, dicentis Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Ideo in Catechiſmo Sacerdos primum Catechumenos inſtruat de myſterio ſanctæ Trinitatis, illud eis planè ac ſimpliciter exponens: non arduas diſputationes, non difficiles, aut perplexas Theologicas quæſtiones, quibus vel confundi, vel de fide dubij reddi poſſent, proponet.

Deinde

*& habetur de conſecr. diſt. 4. cap. ante Baptiſmum.*

Deinde eos doceat ex Moyſe & Prophetis, ex Apoſtolis & Evangeliſtis, omnipotentem DEUM omnia per Verbum ſibi coæternum & conſubſtantiale, hoc eſt, unigenitum Filium ſuum, tam viſibilia, quam inviſibilia initio creaſſe, atque ex nihilo condidiſſe.

1 S. Clem. lib. 7. conſtit. c. 39.

Explicet autem eis caſum Angelorum, & 1 ordinem creationis, & divinam in creaturas providentiam, cur mundus conditus, cur homo creatus, quomodo gratia, & arbitrij libertate donatus, & in paradiſo colonus poſitus, quomodo invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & primi parentes ab eo ſeducti, DEI præceptum prævaricantes, per inobedientiam ceciderunt, & quomodo originale peccatum, ab Adam in poſteros omnes, perpetua damnatione tranſmiſſum eſt; nam ſicut ait Apoſtolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Eccli. 15. Sap. 2. in fin. Rom. 5

Poſtea vero doceat, quomodo DEUS, qui dives eſt in miſericordia, ſtatim poſt Adæ peccatum promiſerit ſe miſſurum Chriſtum, ut ſerpentis caput contereret, id eſt, ut diaboli regnum, quod in humanum genus ſibi iniquè uſurpaverat, deſtrueret, & nos à poteſtate tenebrarum eriperet, & transferret in Regnum ſuum, & ipſum deinde omnibus ſequentibus ſæculis uſque ad ejus adventum repromiſerit Patribus per Prophetas, quem propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ut merito dicat Apoſtolus; *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia: ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam.* Ac tum opportunè eorundem Prophetarum divina oracula, & prædictiones de ejuſdem 2 æterni Verbi unigeniti DEI filij Domini noſtri JESU Chriſti incarnatione, nativitate, prædicatione, virtutibus, miraculis, alijſque operibus, paſſione, morte, ſepultura, reſurrectione, & in cœlum aſcenſione, de Spiritus ſancti miſſione, Apoſtolorum in toto orbe terrarum prædicatione, gentium vocatione & converſione, deque futuro judicio, & futura omnium reſurrectione, de ſecundo Chriſti adventu ad vivos & mortuos judicandos, de promiſſione & ſpe vitæ æternæ, de retributione unicuique rependenda, juxta opera ſua, de futura gloria, de igne & alijs gehennæ pœnis, & æterna reproborum damnatione, Catechumenis fideliter exponat, atque ita paulatim eis explicet myſteria regni cœlorum.

Rom. 5.

2 S. Clem. d. cap. 39. Pontific. Armenic. majus in ordine Catechiſ.

Verum quemadmodum Ethnicis & Infidelibus divina myſteria propalanda non ſunt, dicente Domino in Evangelio: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos;* ita cum Catechumenis magna cum diſcretione agendum eſt, ut juxta Sanctorum Patrum documenta, & traditionem, non omnia præſertim ſacratiora quædam fidei myſteria eis aperiantur, quod ea, vel non capere, vel impoſſibilia reputare, aut irridere facile queant, 3 ſed ea tantum, quæ in vulgus efferri fas eſt, & non credentibus tuto prædicari poſſunt. Quæ autem reconditiora, & magis myſtica ſunt, poſt Baptiſmum cum jam intra Eccleſiam fuerint, commodius poterunt edoceri, 4 quæ & ipſi apud ſe occulta, & clauſa tanquam ſigillo obſignata cuſtodiant, nec infidelibus prodant.

Matth. 7.

3 S. Greg. Naz. orat. in Baptiſma & Nicetas ibid. in eum.

4 Ex eiſdem S. Greg. & Niceta.

5 S. Gaudent. Brixienſ. in 1. & 2. tract. in lect. Exodic. 12. in Bibliotb. tom. 7 & c.

Si qui vero Catechumenorum ea myſteria, noſſe ſeu 5 eorum rationem intelligere quærant, fides & humilitas eis commendanda, & inculcanda eſt teſtimonijs ſcripturarum, cujuſmodi eſt illud Rom. 1. *Juſtus ex fide vivit.* Et illud Iſaiæ 6. *Niſi credideritis, non intelligetis.* Item Joan. 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Et illud Eccli. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcipit tibi DEUS, ita cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus, ne fueris curioſus: non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ ſunt abſcondita videre oculis tuis.* Idemque Prov. 25. *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Sunt præterea confirmandi antiquorum Patrum exemplis, qui non quærentes rationem eorum, quæ à DEO jubebantur, humili, & conſtanti in eum fide, imperata faciebant, atque ita illuſtria & admirabilia opera ediderunt, quorum etiam præclaræ fidei exempla Apoſtolus commemorat in *Epiſtola ad Hebræos.* 6 Ac proinde hortandi, monendique ſunt, ut ea, quæ de fide Trinitatis, & humani generis redemptione per Chriſtum, ac de ſpe futuri ſeculi eis tradita ſunt, fideliter credant ac retineant, ſcientes, quod ſi prius crediderint, omnia poſtmodum ſuo tempore intelligent; & quando ſublimitatem eorum, quæ eis non traduntur didicerint, tunc planè cognoſcent idoneos non eſſe Catechumenos ad ea audienda.

5. Ambr. l. de initiandis c. 2. to. 4. & c. Chryſoſt. hom. ad baptizandos. tom. 5.

6 S. Cyril. Hieroſol. in præfat. catechiſ.

Sed & ſi qua proprio ſenſui repugnare, aut eis impoſſibilia fortaſſe videbuntur, admoneantur, ut captivantes intellectum in obſequium fidei, quæ eis credenda proponuntur firmiter credant, quia *non eſt impoſſibile apud DEUM omne verbum,* & quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Cæterum dum catechizantur, inſtituendi 7 ſunt non ſolum doctrina fidei, ſed etiam diſciplina morum, & pietatis, ac confirmandi exemplis, ex geſtis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Anachoretarum, & aliorum ſanctorum petitis, quod ea plurimum conferant ad ædificationem fidei & veræ pietatis, atque ad imitationem provocent, ut & ipſi per Baptiſmum deinde renovati, & ſanctorum imitatores, quantum Dominus dederit, effecti, ejus vitæ uſum teneant, quæ ablutos decet, ac tales ſe in poſterum præbeant, quales oportet eſſe Fideles in Chriſto renatos.

7. S. Ambr. in lib. de initiandis c. 1. tom. 4

Catechumenos, qui ingenio perſpicaci, & intelligentiores ſunt, Presbyter catechizet in fide ex divinis ſcripturis, juxta modum ſervatum à ſanctis Patribus. Eruditiores quidem Catechiſta Theologus in fide plenius edoceat ac infirmos, & quorum animos nutare intelligit, erigat atque confirmet.

Catechumenos quoque de Judaiſmi, aliarumque eorum olim ſectarum erroribus admoneat, & tam ex ſacris literis, quam ex varijs veterum & ſanctorum Patrum libris ac Tractatibus, præſertim vero adverſus Judæos & Gentes conſcriptis, quorum aliqui inferius commemorabuntur, earum falſitatem redarguat, ac refutet, & fidei veritatem aſtruat. Et ad tollendas de eorum mentibus falſas, ſi quas olim imbiberunt, de humana anima opiniones, doceat eos, rationalem animam non corpoream, ſed ſpiritualem eſſe ſubſtantiam, & immortalem, intellectus, memoriæ, & voluntatis potentijs, quibus ad imaginem DEI creata eſt, præditam, & alia hujuſmodi, quæ ad errores refellendos noverit accommodata.

In primis autem eos doceat, quomodo ſe ſigno Crucis ſignare debeant, ducta ſcilicet dextra manu à fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum ſimul dicendo, dum tangunt frontem (*In nomine Patris;*) dum pectus, (*Et Filij:*) dum ſiniſtrum & dextrum humerum, (*& Spiritus Sancti.*)

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sanđi. Tum eis oſtendat ejuſdem ſigni vim, atque virtutem adverſus dæmones, & contrarias poteſtates, quod videntes ſignum ſummi Regis expaveſcant, & territi, ac confuſi procul aufugiant. Quare eos moneat, ne Crucis ſignum erubeſcant, ſed ſibi illud in fronte ſæpisſimè, & confidenter inprimant, & in eo etiam maximè glorientur, juxta illud Apoſtoli: *Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri JESV Chriſti;* & id quod cantat Eccleſia: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri JESV Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus.* Doceatque eos, ideo in fronte, quæ ſedes eſt pudoris, hoc ſignum fieri, ne Fideles Chriſti Crucem, quæ antea opprobrio erat, erubeſcant. Hortetur igitur illos, ut publicè & privatim ſalutari ſigno crucis ſe muniant, cum cubitum eunt, cum ſurgunt, cum domo prodeunt, cum Eccleſiam intrant, cum orare incipiunt, & deſinunt, cum opus aliquod aggrediuntur, cum iter ſuſcipiunt, cum equum, aut navim conſcendunt, cum aliquod eis periculum impendet, aut pavor occurrit, aut cum cibum, vel potum ſumpturi ſunt, & in omni denique negotio & actione.

*1. S. Cyril. in catecheſi 4. de aſcenſ.*
*Galat. 6.*

Symbolum Apoſtolorum eis ſæpius exponat, primum ſimpliciter, deinde pro ipſorum audientium captu luculentius, tum ex Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano, quod cantatur in miſſa, & ex Symbolo Sancti Athanaſij Alexandrini, tum etiam ex Sanctis Patribus.

Explicet quoque eis orationem Dominicam, & ſingulas illius petitiones, & ubi videbitur ad ipſorum audientium ædificationem conferre poſſe, ex Sanctis Patribus in eorum Commentarijs, vel proprijs opuſculis ac ſacris interpretibus Divinorum eloquiorum, atque ex ipſo item Catechiſmo Romano.

Eandem vero orationem, & ſymbolum ipſi Catechumeni memoriæ mandare, & ſæpius recitare ſtudeant.

*2. S. Baſil. ſerm. 1. p. 2. de Baptiſ.*

Doceat præterea Catechumenos 2 Præcepta Decalogi, Dilectionis DEI & proximi, ac legis naturalis erga proximum, virtutes Theologicas & morales, Beatudines, Fructus Spiritus, Opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia, & Evangelica conſilia.

*3. 8. S. Baſil. ibid.*

Doceat item eos de peccatis capitalibus, & mortiferis, ut ea vitare ſciant, ac 3 ab his impoſterum abſtineant, prout tenentur quemadmodum & cæteri Fideles: de corporis ſenſibus, ut eos à peccatis cuſtodiant: de inimicis hominibus: de quatuor noviſſimis, atque alijs, quæ ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem pertinent.

Inſuper eos doceat, omnipotentem & miſericordem Dominum non modo ut DEUM & Creatorem, verum etiam ut Patrem, & humani generis Redemptorem, ſpecialem curam atque providentiam de Electis ſuis, & in ſe credentibus habere: quod oſtendet exemplis & authoritatibus Scripturarum utriuſque inſtrumenti: præſertim vero Pſalmographi dicentis: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus; ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Et ruſus; *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Item, *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Itemque, *Multæ tribulationes Juſtorum, & de omnibus his liberavit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: unum ex his non conteretur.* Ac ruſus: *Novit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.* Et infra: *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Idemque confirmabit verbis Chriſti in Evangelio cum ait; *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? Et unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro: Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Et demum; *Capillus de capite veſtro non peribit.* Quod & in Martyrum & aliorum Sanctorum geſtis mirificè elucet. Ac proinde eos, ut in DEO omnem ſpem, omnemque fiduciam collocent, admonebit.

*Pſal. 32.*
*Pſal. 33.*
*Ibid.*
*Pſal. 33.*
*Pſal. 36.*
*Matt. 10.*
*Luca 21.*

Eos etiam doceat, quæ dum initiantur diſcere, ac per ſe ipſos, cum interogati fuerint, reſpondere debeant: 4 quid item in Baptiſmi Sacramento renunciandum, quidve credendum ſit, 5 oportere primum eos diſcedentes à fidei contrarijs abrenuntiare Diabolo, deinde Chriſto ſe adjungere, ipſius fidem profitentes, ac ita prius de corde omni impietate ac malitia expulſa, veram pietatem amplectentes, myſteria ingredi, & ad Baptiſmi gratiam accedere, ſanctaque percipere debere. 6 Renuncietur autem Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera vero Diaboli opera carnis eſſe intelliguntur, quæ ſunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & alia his ſimilia, quæ nimirum Diabolico inſtinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrentur. Pompæ vero ejuſdem, ſunt ſuperbia, jactantia, elatio, vana gloria, faſtus, & alia quam plurima, quæ ex his oriuntur.

*4 Concil. Turon. 3. cap. 18. & Conc. Mogunt. 2. ſub Ludovico Rege & Raban. c. 3. tom. 3. Conc.*
*5 S. Clem. l. 7. conſt. Apoſt. c. 40. & 41.*
*6. Concil. Turon. 3. c. 18. & Conc. Mogunt. ſub Rabano cap. 3.*

Det autem operam prudens Catechiſta, ut omnia, quæ Chriſtianæ Fidei repugnant, aut 7 diſciplinam impediunt, removeantur, ac de eorum cordibus funditùs evellantur; ut his, quæ ſunt Religionis & pietatis rectè imbui poſſint.

*7. Baſil. ſerm. 1. parte 2. de Baptiſ.*

Quocirca moneat eos, ut auguria, auſpicia, divinationes incantationes, ſortilegia, omnes denique ſuperſtitiones tanquam Diaboli commenta, & machinationes vitent: ſectentur vero ſincerum Religionis cultum, veritatem juſtitiam, miſericordiam, abſtinentiam, verecundiam, pudicitiam, caſtitatem, manſuetudinem, benignitatem, & reliquas Chriſtianas virtutes, ut mentis humilitatem, oculorum modeſtiam, linguæ continentiam, ſenſuum mortificationem, corporis caſtigationem, ſuperbiæ compreſſionem, cogitationum puritatem, iræ moderationem, patientiam in tribulationibus, DEI & ſibi præpoſitorum juſſionibus promptè & humiliter obedire, non reddere malum pro malo, non ulciſci, ſed potius benefacere malefacientibus, inimicos diligere, orare pro perſequentibus, injurias æquanimiter ferre, non jurare, non mentiri, non fraudare, non contumelias inferre, nec turpia aut ſtulta, aut ſcurrilia loqui, aut facere, neminem calumniari, aut circumvenire, neque aliud quicquam illicitum perpetrare, ac omnes præterea pravos habitus, & malas conſuetudines abjicere: Moriendum enim ſibi eſſe peccato, vivendum autem DEO. Nam & tunc digni erunt in nomine Trinitatis baptizari, ac ſuperna regenerari virtute, ſi & vitia, & priſtinum vivendi modum, & locum, & præteritæ vitæ ſocios mutent, ut ſpiritu viventes Chriſtum induí mereantur, quemadmodum dixit Apoſtolus Gal. 3. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*

*Gal. 4.*
*Pet. 5.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Si quis interdum Catechumenorum per animi elationem dixerit, aut ſignificarit, nolle ſe una cum reliquis Catechumenis, aut cum pauperibus, vel illis, aut illis, ſed vel ſolum, vel cum certis quibuſdam tantum baptizari, docendus erit *Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam*; ac proinde Sanctum baptiſmi lavacrum non faſtum, aut arrogantiam admittere, ſed pænitentiam requirere & animi humilitatem, 1 neque alienum à dignitate ſua debere putare eum, qui divitijs affluit ſimul cum paupere baptizari, cum obſcuro nobilem, herum cum eo, qui ſibi ſervus fuit. Nemo enim unquam tantopere ſe demittet, quantopere Chriſtus, in quo baptizatur quicunque ſalutaribus aquis intingitur, ſeſe dejecit, qui ſalutis noſtræ cauſa ſervilem quoque formam aſſumpſit.

Si quis præterea ambitione ductus, inſinuaverit ſe non à deputato Presbytero, ſed ab Epiſcopo tantum, aut magno aliquo Prælato, ſive etiam eximiæ ſanctitatis ſacerdote, Baptiſmi Sacramentum ſuſcipere velle; doceatur 2 eum, qui curatione indiget, de judicibus ſibi judicium arrogare non debere, nec eorum à quibus purgatur, dignitates, pretiaque anxiè & moroſe diſquirere; & quamvis, 3 alius alium probitate vitæ, aut gradus dignitate præcellat, eandem tamen cujuſque Baptiſmi in Sanctæ Trinitatis nomine collati, vim eſſe. Baptiſmus 4 namque talis eſt, qualis ille eſt, in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille per cujus miniſterium datur. Et 5 ideo ſi unus à viro juſto & ſancto baptizetur, alter ab alio inferioris meriti apud DEUM, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, unum tamen, & par eſt, & æquale quod accipiunt, 6 quia per miniſtros diſpares DEI munus æquale eſt, cum non illorum ſit munus, ſed ipſius Chriſti, 7 qui principaliter baptizat.

1. S. Greg. Naz. in orat. in S. Baptiſ. parag. Nihil progreſſionem tuã. 2. Idem Naz. ibidem paulo ſupra. 3. Ibidem paulo infr. 4. S. Aug. in Joan. tract. 5. tom. 9. & habetur de conſec. diſ. 4. c. Baptiſm. 5. Idem in Joã. tract. 6. eod. tom. 9. 6. Idẽ. l. 3. contra Creſc. Gram. c. 6. tom. 7. & habetur de conſec. di. 4. c. Si inter bonos. 7. S. Aug. tract. 4. 5. & 6. in Ioan. c. 1. tom. 9. Beda in. hom. de Epiph. 8. c. Tres ſunt in princ. de pœnit. diſ. 1. & c. Quis aliquando paragr. è contra ead. diſt. 1 & c. Omnis qui. & duobus. ſeqq. de conſec. diſ. 4. S. Thõ. in 3. p. q. 68. art. 5. & 6. &c. Dom. Soto in 4. diſt. 5. q. un. art. 6. concl. 1. 9. S. Tho. ubi ſupra ar. 6. &c. Dom. Soto ubi proximè.

## CAPUT VI.

## De ſuſceptione Baptiſmi, & de alijs prævijs diſpoſitionibus ad illum.

Doceat quoque eos ad pœnitentiam ſuperioris vitæ, quæ exigitur ante Baptiſmum, probè tenendam, ut 8 contritionem, vel ſaltem attritionem habeant omnium peccatorum ac delictorum, quæ contra DEUM, & proximum commiſerunt, ut ea nimirum ipſis diſpliceant: & 9 ſi qui ſpiritus fervore, ſeu devotione ſibi, vel alteri preſbytero peccata, quæ hactenus admiſerunt, confiteri velint, audiantur; non 10 quidem, ut eorum abſolutionem accipiant, ſed ut 11 ſic ea ſerio & ex animo ſe odiſſe, perſpicuum faciant, atque ex hujuſmodi humiliatione, & pudore ſe magis idoneos præſtent ad Baptiſmi gratiam recipiendam, vel ut ad peccata vitanda remedia ſuſcipiant, aut ſpiritualis vitæ præceptis informentur.

In hujuſmodi autem Confeſſione non 12 oportebit omnia ſingillatim peccata, neque omnes illorum circumſtantias confiteri, ſicuti in Sacramentali Confeſſione fieri debet; ſed graviora tantum ſat erit enarrare. Etenim 13 nec eis ulla per Presbyterum ſatisfactio, ſeu pœna imponi, 14 neque abſolutio impendi debet; 15 verum ſi vel famæ, vel bonorum reſtitutionem certis perſonis facere tenentur; is eam pro loco & tempore faciendam imponat.

Cum Baptiſmi tempus inſtiterit, Sacerdos inſtruat competenter de Sacramento, & de ejus ad ſalutem conſequendam neceſſitate, vi, 16 utilitate, & effectu: & quod ſicut docet B. *Cyrillus* 17 *Hieroſolymitanus*: Magnum eſt ſanè propoſitum hoc Baptiſma; Captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum & indelebile, currus ad cœlum, delitiæ paradiſi, regni cæleſtis conciliatio, chariſmaque adoptionis filiorum. Et *S. Gregorius* 18 *Nazianzenus*, Baptiſmus eſt ſplendor animarum, vitæ in melius mutatio, conſcientiæ ad DEUM integratio, Baptiſmus infirmitatis noſtræ adjumentum; Baptiſmus carnis eſt abjectio, Spiritus affectatio, verbi participatio, figmenti inſtauratio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum depulſio, Baptiſmus vehiculum ad DEUM; Peregrinatio cum Chriſto; fidei adminiculum; mentis perfectio; cœleſtis regni clavis; vitæ commutatio, ſervitutis abrogatio; vinculorum ſolutio, compoſitionis & coagmentationis noſtræ in meliorem ſtatum converſio. Quodque demum Baptiſmus omnium DEI beneficiorum præclariſſimum, & præſtantiſſimum eſt: ut enim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Cantica Canticorum; quod ſcilicet latius pateant, ac plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant, eodem modo Baptiſmus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes ſanctitate præcedat. Hæc & alia ſimilia ex ſanctis Patribus illos edoceat.

Hortetur inſuper eos, ut ad ſacrum Baptiſma firma & conſtanti fide accedant, atque id ſimplici & puro corde, ac ſincera mente, quemadmodum divina gratia renovandos oportet, ſuſcipere ſtudeant, ut gratiam quæ cuivis non ponenti obicem confertur, inde conſequantur in remiſſionem omnium peccatorum, juxta quod ſcriptum eſt*: *Sentite de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis, quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Et paulo poſt †: *Quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Ac idcirco caveant ne 19 fictè, ſimulatè ad illud accedant, ne omnipotens DEUS tanto ſcelere offenſus, ab eis graves pœnas, magnamque exigat ultionem.

Jejunium quoque ante Baptiſmum, ex veteri more triduanum, aut biduanum, vel prout videbitur, & ſine intermiſſione oratio eis indicatur, ac ſedulò admoneantur, ut ad ſacra myſteria ſuſcipienda parati ſint.

Et ad extremum (quoniam poſt Baptiſmum confirmandi ſunt, & communicare debent) de Sacramentis Confirmationis, & ſacræ Euchariſtiæ, quantum eorum ſtatui & capacitati convenit, inſtruantur.

Interea vero parentur eis veſtes albæ, ut his ſuſcepto Baptiſmo mox induantur, quas ſi qui ob paupertatem ſibi comparare haud commodè poſſint, vel Præfecti domus Catechumenorum, vel loci Ordinarius ſua pro pietate illas eis undecunque poterunt comparandas curabunt. De alijs, quæ obſervari debent ante ipſam, & in ipſa Baptiſmi ſumptione, dicemus *cap.* 21.

CA-

10. Card. Cajet. in S. Tho. cit. art. 6. & Dom. Soto ubi ſup. 11. S. Greg. Naz. in orat. in. S. Baptiſ. 12. S. Tho art. 6. Dom. Soto d. art. 6. 13. S. Anb. in epiſt. ad Rom. c. 11. ſuper verb. ſine pænitentia ſunt dona & voca io Dei, & habetur de conſec. diſ. 4. c. ſine pœnitentia. S. Tho cit. q. 68. art. 5. & 6. Dom. Soto in 4. cit diſt. 5. q. un. art 5 14. Card. Cajet in D. Thom. cit art. 6. & Dom. Soto cit. q un. art. 6. 15. S. Thõ. cit. q. 68. artic. 5. ad 3. & Domin. Soto in 4. cit. diſt. 5. q. un artic. 5 in reſponſ. ad. 3. 16. S. Gregor. Naz. orat. in ſanctum Baptiſma. 17. S. Cyrill. in Pro catecheſi ante ſin. hæc tribuit Baptiſmi Sacramento encomia. 18. Idem Gregor. ibidem.

*Sap. 1. † Ibidem. 19. De fictè accedentibus 1. q. 1 cap. Sicut. Ex S. Aug. l. 1. contra Donatiſt. c. 12. & idem Aug. l. 5. de Bapt. contra Donat. c. 20. & de conſec. diſt. 4. c. quomodo exaudit. & l. 7. de baptiſ. contra Donat. c. 53. De conſec. di. 4. c Solet etiam quæri. Innoc. III in c. Majores paragr. Item quæritur de Baptiſmo.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## CAPVT VII.

### De neceſsitate Catechiſmi pro Neophytis, & quid ante omnia ſcire, & credere oporteat.

CUM adultorum Baptiſma non modo 1. præcedere, verum etiam ſequi debeat doctrina fidei, juxta illud quod Dominus poſt verba 2. Matt. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ſubjunxit; *docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*: & is 3. qui catechizatur, etiam poſt Baptiſma magna probatione indigeat; Neophyti non ſimul ac baptizati fuerint, quocunque voluerint paſſim ire, vel cum laicis liberè converſari, aut extra domum Catechumenorum, ſeu Neophytorum habitare permittantur; ſed ſaltem per quadraginta dies in eadem domo, vel ubi ejuſmodi domus non exiſtit, apud eaſdem apud quas catechizati fuerint, vel apud alias pias probataſque perſonas retineantur, ut de his quæ poſt Baptiſmum ſervare debent, & de reliquis, quæ ad fidei doctrinam, atque ad ſpiritualem vitam ſobriè, juſtè & piè ducendam ſpectant, adhuc inſtitui & edoceri poſſint, ac ita inſtituti, inprimis vero Sacramentis, & verbo DEI vegetati & enutriti, tanquam novæ plantæ in Eccleſia coaleſcant, & in ſuſcepta fide ſolidius confirmentur, & cum ad humanæ vitæ negotia dimiſſi fuerint, velut arbores altis defixæ radicibus, à ventis & turbinibus tentationum non facilè quatiantur aut convellantur.

Per id vero temporis à Præfectis ſuis, vel Patrinis, vel Matrinis ad ſtationes, & ad præcipuas Civitatis Eccleſias quoad commodè poterit, ducantur; orationi & cæleſtium rerum meditationi vacent, ſacris Miſſarum ſolemnijs, ac alijs divinis officijs reverenter interſint; conciones audiant, & lacte ſpiritualium conſolationum, tanquam parvuli nutriantur; peccata ſua Sacerdoti Confeſſario eis aſſignato ſæpius confiteantur. Singulis item quibus Albas deferunt diebus, deinde vero Dominicis, alijſque feſtis præmiſſa Sacramentali peccatorum confeſſione judicio Confeſſarij, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſumant, ut ſalutari ſacri Dominici pabulo confirmati, ſolidius in fide roborentur.

Per idem quoque tempus, juxta *Carthaginenſis* 4 *Concilij* monita, à lautioribus epulis, & ſpectaculis, & conjugibus, abſtinere moneantur.

Interim vero eis hiſtoriæ quædam ſacræ de 5. geſtis Patriarcharum, Prophetarum, aut aliorum Sanctorum veteris teſtamenti ac de Actibus Apoſtolorum, aut moralia quædam ex libris Eccleſiaſtæ, 6. Proverbiorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & ſimilibus, quæ ipſorum ædificationi conducunt prælegi vel explicari poſſunt.

Deinde, ut ſuſceptorum myſteriorum rationem intelligant, & divinam gratiam ſibi collatam clarius agnoſcant, unde ferventiores effecti aſſiduas DEO gratias agant, Catechiſta eis 7. cæremoniarum & rituum, qui tam in exorciſmo & Catechiſmo, quam in ipſo Baptiſmo adhibentur ſignificationes & myſticas rationes, & cur baptizandus oleo ſancto ungatur, & ter mergatur in aqua, aut ea perfundatur, in 8. nomine perſonarum S. Trinitatis: cur Chriſmate inungatur in vertice, cur etiam ab Epiſcopo confirmetur Chriſmate in fronte, & Dominici corporis particeps fiat pro loco & tempore, ac pro ipſorum docilitate & ingenio explicet atque interpretetur ex ſacroſanctis Scripturis, Epiſtolis præſertim beatorum Apoſtolorum PETRI & PAULI.

Hæc autem eis jam baptizatis ac fidelibus 9 non ante Baptiſmum explicanda ſunt. Nam 10 quæ ad Sacramentorum rationem pertinent, Catechumenos audire non congruit, ſed ſuſcepto Baptiſmo Neophytos, ut alios Fideles. Tunc 11. enim cum facile intelligant ſuaviuſque deguſtent, tempus admonet ipſis divinæ gratiæ ſplendore magis illuſtratis, fidemque perfectius aſſecutis, de myſterijs dicere, & eorum edere rationem, quam nondum initiatis antea inſinuari, nec utile, nec oportunum fuiſſet.

Tunc itaque Catechiſta de præceptis, ac reliquis omnibus Eccleſiæ Sacramentis, eorum numero, & virtute Neophytos edoceat, ex Patribus & Theologis, ex ſacris Oecumenicis Concilijs, Florentino & Tridentino, atque ex Catechiſmo Romano.

## CAPVT VIII.

### Non ſufficere Baptiſmum, nec fidem in Chriſto, niſi ſimul adſit obſervantia mandatorum, carnis & paſſionum mortificatio.

UT autem, quæ poſt Baptiſmum eis ſervanda ſunt, doceantur, ſacerdos diligenter inſtruat eos de his, quæ agere & ſervare, quæque cavere debent. Primum admonebit, ut ſinguli 12. meminerint ſe Chriſti fide percepta, præſtantiſſimum nomen una cum antiquis Sanctis & Patribus ſortitos fuiſſe, & idcirco Chriſtiano cognomine, quod à Regio Chriſti nomine deductum, in ſalutaris lavacri Sacramento acceperunt, glorientur, & hoc uſque in finem firmum, intemeratumque ſervare contendant, gaudentes in ſe illud Iſaiæ vaticinium eſſe completum: *Et ſervos ſuos vocabit nomine alio*, hoc eſt, nomine Chriſtiano, quo nunc omnes ſervi Chriſti ſe vocari lætantur. *Neque enim nomen aliud ſub cælo datum eſt, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Unde & Propheta ſubſequenter adjungit: *In quo qui benedictus eſt ſuper terram benedicetur in Deo, Amen.*

Verum ne putent hujus tanti Chriſtiani nominis profeſſionem ſibi ſat eſſe ad æternam vitam comparandam; niſi & huic nomini divina præcepta obſervantes, vitæ pietate & bonorum operum exercitatione reſpondeant, ſicut ipſe Dominus conteſtatur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*, & quæ ſequuntur. Ac iterum: *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Et B. Joannes Apoſtolus: *Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervamus. Qui dicit ſe noſſe*

DEUM,

*1. S. Baſil. ſer. 1. de bapt. p. 1. & 2.*
*2. S. Hier. in comment. in Matt. cap 28. Tomo 6. & legitur pro hom. in Brev. Rom. reſor. fer. 6. in Alb.*
*3. Conc. Nic. 1. c. 2. tom. 1. Conc. & diſt. 48. cap. 1. ita & non abſimiliter Inno. III. ad Livonen. Epiſc. & eos qui cum eo ſunt fratres, c. Deus de pœnit. & remiſſ. & Patres Conc. Baſil. ſeſſ. 19 in Decr. de Judæis & Neoph. parag. Curent inſuper. Et ex eis Paul. PP. III. in litteris in forma Brevis de Judæis & infid. venientibus ad fidem parag. Curent inſuper.*
*4. Concil. Carthag. 3. c. 86. tomo 1. Conc. & apud Gratian. de conſecr. di. 5.*
*5. S. Ambr de initiandis cit. c. 1. tom. 4. & in l. de Sacram. eod tom.*
*6 S. Ambr de initiandis c. 1.*
*7. Ex Pontif. Armenis majori in ordine Catechiſmi*
*8. Pont. Armen. ubi primo.*
*9. Explicibus PP. & præſertim S. Ambr. in l. de initiandis c. 1. & idem Ambr. l. de Sacram. initio eod. tom. 4. & Cyrill Hieroſol. in Catechiſ. myſtag. 1. Chryſoſt. in hom. ad baptizandos 10.*
*S. Gaudent. Epiſc. 10. & Gaud. ubi ſupra.*
*11. S. Ambr. in l. de initiandis, cap. 1.*
*12. Baſil. in hom. in circ. Dom. tom 7. & S. Cyrill. Hieroſol. Catec. 10*
*Iſaiæ 65.*
*Act. 4.*
*Iſaiæ 65.*
*Matt. 7.*
*Joan. 15.*
*1. Joan. 2*

*DEUM, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.*

1 Chryſoſt. homil. 2. in Matth. c. 3 tomo. 2. & Aug. de fide ad Petr. c. 3. tom. 3. ſed & hoc ipſum docet S. Chryſ. hom. 9. in c. 1. Joan. tom. 3. 3. Reg. 19. 1. Cor. 10

Neque 1 arbitrentur ſibi Baptiſma ſufficere, ſi poſt illud malè vivant, & ad peccata redeant; ne ſe vocatos eſſe ad humanæ vitæ commoda, & ſolatia, aut ad carnis & ſeculi voluptates: Non enim inquit 1. Theſſal. 4. Apoſtolus, *vocavit nos DEUS in immunditiam, ſed in ſanctificationem*; ac idcirco eis opus eſſe multa induſtria & pietate multaque virtute, Job. 7. *Malitia enim eſt vita hominu ſuper terram*; & grandis adhuc eis reſtat via. Nam quemadmodum filij Iſrael poſtquam de manu Pharaonis, ſervitute Ægypti liberati ſunt, & mare rubrum tranſierunt (in quo omnes, Apoſtolo teſte, baptizati fuerunt) non ſtatim in terram promiſſionis à Deo perducti ſunt, ſed per XL. annos in deſerto morantes, poſt multa prælia inita, & calamitates perpeſſas; varijs tentationibus antequam ad eam tandem pervenirent, probati ſunt: ita & de ſervitute Diaboli liberatos, & renatos fonte Baptiſmatis, in hoc ſæculo ad Dominum peregrinantes multipliciter probari oportet, donec ad terram viventium, & cæleſtem Hieruſalem Fidelibus promiſſam pervenire mereantur (non enim ignavos, formidoloſos, deſides, & otioſos vult Dominus milites ſuos, ſed ſolicitos, magnanimos, ſtrenuos, & laborioſos) interim 2 tamen formidantes, ne cadant, cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleemoſynis, in orationibus, in oblationibus, in jejunijs & caſtitate.

2 Ex Conc. Tr. ſeſſ. 6. c. 13

3 Concil. Trid. ſeſſ. 5 in decr. de pecc. orig. Rom. 8. 2. Tim. 2. Jacob. 1.

Sed & eos moneri oportebit, quod quamvis à fomite, ſeu carnis concupiſcentia, quæ baptizatis relicta eſt ad agonem, ſe aſſiduè oppugnari ſentiant: 3 tamen illi per JESU Chriſti gratiam fortiter reſtiterint, aut non conſenſerint, ipſis nocere non valet, nec imputabitur ad culpam, juxta Apoſtolum dicentem: *Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto JESU, qui non ſecundum carnem ambulant*; quinimo qui legitimè certaverit, coronabitur. Quod ſi carnis illecebris & tentamentis cedant, ſuum peccatum DEO omnium bonorum Auctori, qui odit peccatum, & peccatorem, ne impiè tribuant, ſed ſibi ipſis, ſuoque conſenſui & voluntati, ſicut beatus Jacobus dicit: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à DEO tentatur: DEUS enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat; Unuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.*

4 Conc. Trid. ſeſſ. 6 in decr. juſtif. c. 11 & Can. 19. & 20

5 Conc. Trid. ibid. c. 16. & can. 26 & 32.

6 S. Greg PP. hom. 29. in Marc. ult. recumbentibus undecim, &c. quod & ſimiliter docet Chryſ. hom. 9. in Joan. c. 1. tom. 3. ibi. Nolimus igitur, nolimus inquam, &c.

Tum quoque Catechiſta de obſervantia mandatorum edocebit eos, quod 4 teneantur ad eam omnes adulti baptizati, illaque habeat Chriſti gratia 5 promiſſionem æternæ vitæ, Domino dicente, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et iterum Luc. 10 *Hoc fac & vives.*

Quare nec 6 eorum quiſquam apud ſemetipſum dicat, *Ego jam credidi, ſalvus ero*: nam niſi fidem operibus teneat, fallitur evidenter: vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis docet, moribus non contradicit. Ac tunc veraciter fideles erunt, ſi quod verbis promiſerunt, operibus impleant. Cum autem ipſi in die Baptiſmatis omnibus ſatanæ operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promiſerint, unuſquiſque in ſuam memoriam revocet, ut poſt Baptiſmum fideliter ſervet, quæ ſpopondit ante Baptiſmum.

7 Conc. Trid. ſeſ. 6 in decr. juſtific. c. 11. & ibid can. 19. & 20.

Nemo itaque 7 quantumvis juſtificatus liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet. Nemo item ſibi de ſola fide blandiatur, ratus ſola ſe fide hæreditatem eſſe conſecutum, etiamſi Chriſto non compatiatur, ut glorificetur: *Nam & Chriſtus ipſe* (ut inquit Apoſtolus) *cum eſſet Filius DEI, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Item Princeps Apoſtolorum Petrus. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*

Philip. 2. Hebr. 5. 2. Petri 1.

8 Conc. Trid. ſeſ. 6 in decret. juſtif. c. 10 & can. 31 Jac. 2. Epheſ. 2. Pſal. 83. Epheſ. 4. 2. Corint. Rom. 6. Apoc. ult. c Apoc. 18. c

Ac proinde 8 ipſi Neophyti moneantur, *ut in Baptiſmate juſtificati, & amici DEI ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renoventur*, ut Apoſtolus docet, *de die in diem, hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma juſtitiæ in ſanctificationem per obſervationem mandatorum DEI, & Eccleſiæ, in ipſa juſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus creſcant, atque magis juſtificentur*, ſicut ſcriptum eſt: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Et iterum: *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.*

9 S. Baſil ſerm. 1. de Baptiſ. p. 2. & Conc. Tr. in dec. juſtific. ſeſſ. 6. cap. 11 Joan. 14. Ibid. Ibid.

Mandatorum autem 9 & præceptorum obſervantiam, augmentum eſſe dilectionis noſtræ, erga ſe Dominus ſæpe definivit, dicens: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Et iterum: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Et rurſus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

## CAPUT IX.

### De dilectione Dei, & proximi, de patientiæ bono, & præmio bonorum operum.

Luc. 10. Matth. 22 Marc. 12 & Deut. 6 & 11. & 13. & 30. Luc. 10. Matth. 19 & 22.

PRæcipuè autem eos doceat Catechiſta, ut dilectionem erga DEUM & proximum habeant, juxta præceptum: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum ſicut teipſum*, ut in initio ordinis Baptiſmi eis proponitur. Et juxta id quod de proximo diligendo Dominus, nocte qua tradebatur, mandavit, dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Et iterum, *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Item Joan. 15. *Mando vobis, ut diligatis invicem.* Sed & illud certiſſimum eſt, ſine 10 charitate cætera DEI dona, atque virtutes inutiles reddi, ipſo Paulo Apoſtolo dicente: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero Prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, etſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

10 S. Baſ cit. ſer. 1. de Baptiſ. p. 2. 1. Cor. 13

11 S. Baſ. ſerm. 1. de Bapt. p. 2. Luc. 10. & Luc. 6.

Quamobrem 11 & proximos diligant, & juvent, illiſque bene faciant, non ſolum amicis & bonis; ſed etiam inimicis & pravis hominibus charitatem & miſericordiam impendant, juxta præceptum Domini: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Charitatem namque Chriſtianam non intrà amicos & notos tantum contineri; verum etiam ad malevolos & inimicos extendi, & cuilibet proximo deberi, ac impendendam eſſe, ut omnes propter Dominum diligamus,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

etiamſi ab iis gravia damna, offenſas, aut injurias
acceperimus, aut etiam ſuſtineamus; quemadmo-
dum ipſemet Dominus præcepit: *Audiſtis, quia di-*
Matth. 5. *ctum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis ini-*
*micum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos*
*veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro per-*
*ſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris*
*veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper*
*bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim*
*diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*
*Nonne & Publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaveritis fra-*
*tres veſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & Eth-*
*nici hoc faciunt? Eſtote ergo & vos perfecti ſicut & Pa-*
Luc. 6. *ter veſter cœleſtis perfectus eſt.* Et apud alium Evan-
geliſtam: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui*
*oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate*
*pro perſequentibus vos.*

Hoc autem & Dominus ſuo confirmavit ex-
emplo, qui pro ſuis crucifixoribus oravit: *Pater di-*
Luc. 23. *mitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Et beatus
Protomartyr Stephanus Dominum imitatus, dum
à Judæis crudeliter lapidaretur, ut Apoſtolorum
Act. 7. Acta teſtantur, *poſitis genibus clamavit voce magna*
*dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Idemque
& Moyſes, & alii ſervi Dei humiliter obſerva-
runt.

Inſuper præmoneat eos, atque hortetur ad pa-
tientiam, & ad futuras tribulationes, & hujus vitæ
adverſitates, tentationes, & mala, quibus divina
bonitas ſuos exerceri, & tanquam aurum igne
probari permittit, fortiter & æquo animo perfe-
1. Petri 1. renda: *nam ſi crucem & mortem oportuit pati Chri-*
Luca 24. *ſtum, & ita intrare in gloriam ſuam: quanto magis Fi-*
Matth. 10 *deles & ſervos ejus? Non enim eſt diſcipulus ſuper Magi-*
Luca 6. & *ſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum.* Et ſicut ſcrip-
Joan. 13. tum eſt: *Per multas tribulationes oportet nos intrare*
Act. 14. *in Regnum Dei*: & Apoſtolus dicit: *Omnes, qui piè*
2. Tim. 3. *volunt vivere in Chriſto JESU, perſecutionem patien-*
Jacob. 1. *tur.*

Quod & in Sanctis omnibus mirabiliter eluxit:
certoque ſciant & ſperent ſibi à DEO perpetuas
1 Baſil. coronas propoſitas eſſe in cœlis, ſi legitimè certa-
ſerm. de verint in terris. Quapropter permanentes 1 in vo-
Baptiſmo catione ſua, moleſtias, tribulationes, miſeriaſque
p. 2. & omnes libenter ferant, exiſtimantes crucem ſibi
Greg. jugiter ferendam eſſe cum Chriſto, quemadmo-
Naz. orat dum & ipſe ſæpè in Evangelio monet: *Qui non ac-*
in S. Bap- *cipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.*
tiſma. Et iterum. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetip-*
Matt. 10. *ſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.*
Luc. 9. Item. *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me,*
Marc. 8. *non poteſt meus eſſe diſcipulus.*
Luc. 14. Neque 2 ipſis hæc dura, gravia, aut impoſſibi-
2 Conc. lia videantur, cum divina cooperante gratia, ea
Trid. in omnia poſſibilia, facilia, & ſuavia eſſe experimen-
decr. Ju- to cogituri ſint juxta verba Salvatoris: *Tollite ju-*
ſtific. ſeſſ. 6 *gum meum ſuper vos, et diſcite à me quia mitis ſum &*
cap. 11. *humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris:*
Matth. 11 *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et
ſicut Propheta dicit: *Guſtate & videte, quoniam ſua-*
Pſal. 33. *vis eſt Dominus: Beatus vir, qui ſperat in eo.* Ac Joan-
1. Joan. 5. nes Apoſtolus affirmat: *Mandata ejus gravia non*
*ſunt.* Et ſui exemplo nos docet Paulus dicẽs: *Scio &*
Philip. 4. *humiliari, ſcio & abundare* (ubique & in omnibus
inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, &
penuriam pati) *Omnia poſſum in eo, qui me confor-*
*tat.*

Quinimo eis oſtendatur, hæc ipſa mandata, ac
omnia bona opera in DEI gratia facta, magnam
Matth. 19 æternamque repoſitam habere remunerationem,
in fin. juxta promiſſionem Domini: *Omnis qui reliquerit*
*domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut ma-*
*trem, aut uxorem, aut filios, aut agrum propter nomen*
*meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſide-*
*bit.* Et iterum. *In patientia veſtra poſſidebitis animas* Luc. 21.
*veſtras.* Item. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, &* Joan. 12.
*ubi ſum ego, illic miniſter meus erit. Si quis mihi mini-* Joan. 13.
*ſtraverit honorificabit eum Pater meus.* Et infra: *Si hæc*
*ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Et ut tradit Apoſtolus:
*Qui* (ſcilicet Deus) *reddet unicuique ſecundum opera*
*ſua.* Quocirca & Dominus in Judicio dicet his,
qui à dexteris ejus erunt: *venite benedicti Patris mei,*
*poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi;*
*Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare; ſitivi & de-* Matt. 25.
*diſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: infir-*
*mus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad*
*me.*

## CAPUT X.

### De confeſſione fidei, de perſeverantia, & damnis, quæ peccatum mortale conſequuntur.

CUm autem victoria, quæ vincit mundum ſit 1. Joan. 4
fides noſtra, hortandi ſunt inprimis, & con-
firmandi, ut in fide permaneant, conſtantes & Act. 14.
fortes ſint, ſemper parati eam confiteri, & pro
ejus confeſſione, & Domini gloria occumbere. Matth. 10
Nec vero ipſam mortem propter Chriſtum for-
mident, aut oppetere timeant; cum ipſe dicat: *No-*
*lite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem*
*non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt &*
*animam, & corpus perdere in gehennam.* Et paulo
poſt: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, con-*
*fitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Qui*
*autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego*
*eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Et Paulus Apo- Philip. 1. in fin.
ſtolus: *In nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt*
*cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo: quia*
*vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum, ut in eum cre-*
*datis, ſed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen*
*habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de*
*me.*

Sed & monendi ſunt, ut in virtutibus, pietate,
& bonis operibus Dei auxilio confiſi, 3 qui ope- 3. Conc.
ratur in eis, & velle, & perficere, pro bona volun- Trid. ſeſſ. 6
tate perſeverare ſtudeant, ut æternam ſalutem in decr.
conſequantur, Domino iterum atque iterum con- Juſtific.
teſtante: *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus* cap. 13.
*erit.* Ut autem perſeverantiæ donum hujuſmodi
obtineant, DEUM humiliter deprecentur, ut ſpe- 4 Conc.
ciale eis 4 auxilium ad illud conſequendum im- Trid. ſeſſ. 6
partiri dignetur, pro quo & ad B. Virginem DEI cit. ca. 13.
Genitricem MARIAM, & ad alios Sanctos cum ut ſup. &
Chriſto regnantes devotè confugiant, ut id eorum can. 22.
patrocinio & interceſſione aſſequi mereantur. 1. Pet. 5.
DEUS autem omnis gratiæ, ut D. Petrus ait, *qui*
*vocavit nos in æternam ſuam gloriam, in Chriſto JE-*
*SU, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolida-*
*bitque. Ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum.*
*Amen.*

Caveant autem, ne ad corruptos prioris vitæ
mores, ac vitia redeant, conſiderantes illud, quod
Salvator noſter ei quem vocaverat, ut ſe ſequere-
tur, & petenti, ut permitteretur primum ire & ſe-
pelire patrem ſuum, dixit: *Sine ut mortui ſepeliant* Luc. 9.
*mortuos ſuos, tu autem vade & annuntia Regnum* Ibidem.
*Dei.*

ibid. Dei. Et id quod alteri dicenti: *Sequar te Domine, ſed
permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi ſunt;*
reſpondit: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum,
& reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Sed quemad-
modum Tobias ſenior docebat filium ſuum ab
infantia DEUM timere, & abſtinere ab omni
Tobiæ 1. peccato, & inter alia, de quibus poſtmodum eum
Tobiæ 4. monebat, illud erat: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mẽte
habeto DEUM, & cave ne aliquando peccato conſen-
tias, & prætermittas præcepta Domini DEI noſtri.* Ita
& Sacerdos doceat Neophytos, ut peccata ode-
rint, illis non conſentiant, ſed divina juvante gratia
ea omnino fugiant; juxta illud quod ſcriptum eſt:
Eccleſ. 21 *Quaſi à facie colubri fuge peccata*, quod his offenda-
Pſal. 5. tur DEUS, & in ejus iram incurratur, ſicut ſcrip-
Eccleſ. 12 tura dicit: *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.*
Sapien. 14 Item: *Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt
pænitentibus.* Ac iterum: *Similiter autem odio ſunt
DEO impius & impietas ejus.* Quodque propter
peccatum, gratia in Baptiſmi lavacro accepta
amittatur, & qui mortiferè peccant, ex innocen-
tibus, puris & immaculatis, nocentes & impuri,
atque anima peccati reatu maculata, viles & de-
formes efficiantur, juxta Prophetam dicentem:
Hierem. 2 *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Et ex filijs
Dei inimici ejus & filij Diaboli, ex liberis, ſervi
peccati, imo & ipſius Diaboli fiant, quemadmo-
Joan. 8. dum Salvator noſter dicit: *Amen amen dico vobis,
quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati;* Ser-
vus autem non manet in domo in æternum, filius
2. Petri 2 manet in æternum. *Melius enim erat illis non cognoſ-
cere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum
averti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.
Contigit enim illis id veri proverbij: Canis reverſus ad
ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.*

Doceat item, quod per peccatum privantur
æterna fælicitate beatæ & immortalis vitæ, viſio-
ne ſcilicet Dei, & futura gloria, quæ revelabitur in
nobis, ac obligantur æternæ mortis & damnatio-
nis pænis, quoniam, ut ait Apoſtolus: *Stipendia
Rom. 6. peccati mors*, omniaque bona opera per ipſos antea
in gratia facta mortificantur. Ut enim Dominus
1 Baſil. dicit apud Ezechielem 1 *Anima, quæ peccaverit
ſerm. 1. ipſa morietur.* Et paulo infra: *Si autem averterit ſe
de Bapt. juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitates ſecundum
p. 2. omnes abominationes, quas operari ſolet impius, num-
Ezech. 28 quid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recor-
Ibidem. dabuntur, in prævaricatione qua prævaricatus eſt, &
in peccato ſuo, quod peccavit in ipſis morietur.*

Præterea demonſtretur eis, quam gravis, irre-
parabilis, & intoleranda ſit non modo pæna ſen-
ſus, verum & pæna damni, quæ quidem etiam te-
2 Chryſ. ſtimonio 2 Sanctorum major eſt, quam cruciatus
homil. 34. flammarum gehennæ, quodque gloriæ amiſſio
in c. 7. multo major eſt, quam gehennæ ſupplicium. Qui-
Matth. bus item, 3 qualibus & quantis bonis peccatores
tom. 2. priventur, in quæ vero, qualia, & quanta mala, ac
3. Comp. ſupplicia incurrant ante & poſt mortem, & poſt
Theol. ve- ipſorum corporum reſurrectionem. Etenim Do-
rit. lib. 3. minus apud Matthæum laudans Ethnici Centu-
c. 7. de ef- rionis fidem, & Judæorum damnans increduli-
fectis pecc. tatem, *Dico autem vobis*, inquit, *quod multi ab Oriente
Matth. 8. & Occidente venient, & recumbent cum Abraham,
Iſaac, & Jacob in regno cælorum: Filij autem regni ej-
cientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor
dentium.* Et rurſus exponens parabolam zizanio-
Matth. 13 rum dicit: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni
comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi: mittet
filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus
omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, &
mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor
dentium. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in Regno Patris
eorum. Qui habet aures audiendi audiat.* Et iterum in
Ibidem. expoſitione parabolæ Sagenæ miſſæ in mare: *Sic
erit in conſummatione ſeculi: Exibunt Angeli & ſepa-
Matth. 25 rabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in ca-
minum ignis, ubi erit fletus & ſtridor dentium.* Et de
ſervo, qui talentum à Domino ſibi creditum ab-
ſconderat: *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exterio-
res; illic erit fletus & ſtridor dentium;* prout & de ge-
hẽna ignis, alijſque hujuſcemodi æternis ſupplicijs
Joan. 5. alibi ſæpè. Sed & apud Joannem: *Venit*, inquit, *ho-
ra, in qua omnes, qui in monumentis ſunt audient vo-
cem filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt in reſur-
rectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectio-
nem Judicij.* Quod & in ſymbolo explicat Atha-
naſius: *Ad cujus* (ſcilicet Chriſti) *adventum omnes
homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & red-
dituri ſunt de factis proprijs rationem. Et qui bona
egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in
ignem æternum.*

Serio igitur moneantur 4 *Epheſ.* 4. per pecca- 4 S. Cy-
tum non contriſtare ſpiritum ſanctum, in quo ſig- ril. Hiero-
nati ſunt; nec templum Dei, & ejuſdem Spiritus ſol. Cate-
Sancti, quod ſunt ipſi, eorumque membra, per che. 17.
culpam temerè violare; alioquin à Domino ſe fore ad fin. &
diſperdendos, & æternæ vitæ fructu privandos, S. Baſil.
ſicut commonet Apoſtolus: *Neſcitis, quia DEI tem-* ſer. 1. de
*plum eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis? Si quis au-* Baptiſm.
*tem templum DEI violaverit, diſperdet illum DEUS.* p. 2. Conc.
*Templum enim DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Trid. ſeſſ.

Ac doceantur 5 acceptam gratiam amitti non 6. in De-
modo infidelitate, per quam & ipſa fides amitti- cret. Ju-
tur; ſed etiam quocunque alio mortali peccato, ſtific. c. 14
quamvis non amittatur fides: & à regno Dei ex- 1. Co. 3.
cludi non ſolum Infideles, verum etiam Fideles, & 6.
qui lethalia peccata committunt, à quibus cum di- 5 Conc.
vinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt, & pro Trid. in de
quibus à Chriſti gratiæ ſeparantur. Quare idem creto Ju-
dicebat Apoſtolus: *Anne ſcitis quia iniqui regnum* ſtific. ſeſſ.
*Dei non poſſidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, ne-* 6. c. 15. &
*que idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, ne-* can. 27.
*que maſculorum concubitores, neque fures, neque ava-* & 28.
*ri, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Reg-* 1. Corinth
*num Dei poſſidebunt. Et hæc aliquando quidem fuiſtis,* 6.
*ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis
in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & in Spiritu*
DEI *noſtri.* Et alibi: *Fornicatio autem, & omnis im-* Epheſ. 6.
*munditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut de-
cet Sanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcur-
rilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum
actio. Hoc enim ſcitote, intelligentes quod omnis for-
nicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum
ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, &
Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc
enim venit ira Dei in filios diffidentiæ: nolite ergo effici
participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc
autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Fructus
enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia & veritate,
probantes, quid ſit beneplacitum Deo: & nolite com-
municare operibus infructuoſis tenebrarum, magis au-
tem redarguite.*

Admonendi item ſunt, Dominum reſpicere Prover. 5
vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderare; Prov. 15.
atque oculos Domini in omni loco contemplari Sapien. 1.
bonos, & malos: DEUM ubique præſentem eſſe, Sapien. 1.
teſtem, & judicem omnium, quæ aguntur, omnia
implere, omnia proſpicere, omnia noſſe etiam mi- 6. Cyril.
nutiſſima quæque & interius 6 ſcrutari corda & Hieroſ.
renes hominum, & cogitationes eorum. Ac prop- Cateche.
terea immundas & malas cogitationes fugandas 14. ad
& expellendas eſſe, & à peccatis, quæ animo & ſo- illumi-
nandos.

la voluntate committuntu ,ſibi abſtinendum, di-
Daniel.13 cente Domino in Evangelio: *Audiſtis, quia dictum*
Pſal.7. *eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis,*
Matth. 5. *quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum*
*eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Sed recto
corde & firma fide in DEUM ſe credere , ac piè
ſanctèque vivere debere ſciant. Quoniam ſicut
Scriptura dicit: *Oculi Domini contemplantur univer-*
2.Par.16. *ſam terram, & præbent fortitudinem his qui corde per-*
*fecto credunt in eum.*

Admoneantur præterea, non ſatis eſſe ab uno,
vel altero mortifero peccato abſtinere , niſi ab
univerſis abſtineant; neque hæc, vel illa mandata
non tranſgredi, niſi & omnia pariter ſervent. Qui-
Jacob. 2. cunque enim, ut inquit beatus Jacobus, *totam le-*
*gem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt om-*
2 Conc. *nium reus.*

Trid.ſeſſ. Si qui tamen humana fragilitate ( quod abſit)
14.de Sacr post 1 Baptiſmum aliquo crimine ſe contamina-
pænitent. verint, & ab 2 accepta gratia per mortale pecca-
c.2. & tum exciderint, ad Pænitentiæ Sacramentum 3
Greg.hom quod pro fidelibus, 4 quoties poſt Baptiſmum in
29.Aſcen. peccata labuntur, DEO reconciliandis ad pecca-
Dom. torum remiſſionem à Chriſto Domino noſtro
2 Conc. inſtitutum eſt, tanquam ad 5 ſecundam poſt nau-
Trid.ſeſſ. fragium tabulam, ſtatim & confidenter confu-
6.in Decr. giant, ut per illud 6 excitante DEO & ejuſdem
Juſtific. Chriſti merito amiſſam gratiam recuperare pro-
ca.14. curent, atque ad Confeſſarium Sacerdotem, cui
3 Conc. peccata remittendi & retinendi auctoritas man-
Trid. ſeſſ. data eſt, juxta verbum Domini : *Quorum remiſe-*
14.cap.1 *ritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis re-*
4 Conc. *tenta ſunt*, accedant; ipſique ſincerè & fideliter ſua
Trid. ſeſſ. peccata confiteantur, & eorum obtineant abſo-
6.cap.14. lutionem, ac injunctas ſatisfactiones & pæniten-
5 Conc. tias humiliter impleant. Dei auxilio caventes, ne
Trid.ibid. iterum in ea labantur, ſicut ſcriptura dicit. *Fili pec-*
6 ibidem. *caſti, non adjicias iterum. Sed & de priſtinis depreca-*
Joan. 10. *re, ut remittantur tibi.* Et alibi: *Ne dixeris peccavi; &*
Eccli. 21. *quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens red-*
& 5. *ditor.*

## CAPUT XI.

### De ſuperbia præcipuè vitanda , & de veteri homine exuendo, & renovatione novæ vitæ.

Ecclеſ.10 PORro inter alia peccata, ſuperbiam inprimis vi-
tare debent; quod, ut Sapiens dicit: *Odibilis co-*
*ram DEO ſit & hominibus ſuperbia.* Et infra: *Initium*
7 Auguſt *ſuperbiæ hominis apoſtare à Deo : quoniam ab eo, qui*
de verb. *fecit illum receſſit cor ejus. quoniam initium omnis pec-*
Domini *cati eſt ſuperbia; qui tenuerit illam adimplebitur male-*
ſer. 10. *dictis & ſubvertet eum in finem.* Et Paulo poſt: *Sedes*
ſuper ver- *ducum ſuperborum deſtruxit DEUS , & ſedere fecit*
bis Mat- *mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit*
thæi 11. *DEUS, & plantavit humiles ex ipſis gentibus.*
quoniam Contra vero inter cæteras virtutes 7 humilita-
mitis ſum tem , quæ earum mater & fundamentum eſt, eos
&c. tom. maximè complecti, & obſervare oportet; imitan-
10. tes Dominum & DEUM Salvatorem noſtrum,
Phil.2 *qui cum in forma DEI eſſet , non rapinam arbitratus*
*eſt eſſe ſe æqualem DEO ; ſed ſemetipſum exinanivit*
*formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum fa-*
*ctus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit ſemetip-*
*ſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem*
*crucis* : quique diſcipulos ſuos humilitatem ſequi,

& ſuperbiam vitare docuit, aliquando dicens: *Bea-* Matth.
*ti pauperes ſpiritu : quoniam ipſorum eſt regnum cælo-*
*rum.* Aliquando 8 *Amen dico vobis; niſi converſi* 8 S.Baſ.
*fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in* ſerm. 1.
*regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut* de Bapt.
*parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum.* par 2.

*Quia vero non eſt homo, qui non peccet, & in multis* Matth.
*offendimus omnes*, & ut beatus Joannes ait: *Si dixeri-* Luc. 18.
*mus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeduci-* 3. Reg.
*mus, & veritas in nobis non eſt.* Et iterum : *Si dixeri-* 2. Par.
*mus, quoniam non peccavimus , mendacem facimus* & Eccl.
*eum, & verbum ejus non eſt in nobis.* Neophyti maxi- Jacob.
mè admonendi ſunt, ut de accepta gratia ſe non 1. Joan.
extollentes, magna cordis humilitate ſe peccato- Ibidem.
res agnoſcant, & confiteantur, cum hanc 9 vitam, 9 Conc.
ſine venialibus ſaltem peccatis, tranſire non poſ- Trid.
ſint, ac ut quoties cadunt, toties divina gratia re- 6. in Decr.
ſurgere ſtudeant: Proverb. 24. *Septies enim in die* Juſtific.
*cadet juſtus, & reſurgit.* Ac ut idem Joannes dicit. 1. c.11.
cap. 1. *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt, & ju-* Conc.
*ſtus DEUS, ut remittat nobis peccata noſtra, & emun-* Milevit.
*det nos ab omni iniquitate.* Et ſubdit in cap. 2. *Filioli* c.6.7.
*mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis; ſed & ſi quis pec-* quæ
*caverit, advocatum habemus apud Patrem, JESUM* ſcribun-
*Chriſtum juſtum , & ipſe eſt propitiatio pro peccatis* tur in
*noſtris : non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro* Conc.
*totius mundi.* Africa.

Frequenter autem Catechiſta eos doceat, ut in 81.82.
percepta gratia perſeverantes, depoſitis vitæ erro- 83.tom.
ribus, cæteriſque vitiis, bonis operibus vacare, pie- Concil.
tatem ſectari, virtutes æmulari, ac omne genus S. Aug.
peccatorum vitare ſtudeant, juxta id quod Apo epiſt. ad
ſtolus ad Romanos ſcribit : *Juſtificati ergo ex fide* Caleſt.
*pacem habeamus ad DEUM per Dominum noſtrum*
*JESUM Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per*
*fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in*
*ſpe gloriæ filiorum Dei: non ſolum autem, ſed & gloria-*
*mur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patien-*
*tiam operatur, patientia autem probationem, probatio*
*vero ſpem, ſpes autem non confundit: quia charitas DEI*
*diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui*
*datus eſt nobis.*

Ac 10 quemadmodum *Chriſtus* Dominus no-
ſter *reſurgens ex mortuis , jam non moritur, vivit*
*autem Deo in æternum* : ita & ipſi in Baptiſmo, qui
crucis, mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti
ſimilitudinem habet, peccato ſemel mortui, &
conſepulti cum Chriſto , atque cum eo à mortuis Rom.6.
excitati, licet in carne vivant, cuſtodiant ſe ipſos ne 10 S.Baſ.
denuo ad peccatum redeant, ſed ambulent in no ſer.1.
vitate vitæ, ac perſeverent viventes Deo in Chri- par.2.
ſto JESU dicente: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur;* Joan.12.
ut idem docet Apoſtolus: *An ignoratis fratres, quia* Rom.6.
*quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte*
*ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo*
*per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſur-*
*rexit à mortuis per gloriam Patris ; ita & nos in novi-*
*tate vitæ ambulemus.*

Idemque eos doceat, quæ ad Neophytos maxi-
mè pertinent, & ad illos propriè dicta ſunt ex ver- 1.Pet.2.
bis beati Petri Apoſtoli dicentis : *Deponentes igitur*
*omnem malitiam, & omnem dolum . & ſimulationes,*
*invidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti in-*
*fantes , rationabiles ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo*
*creſcatis in ſalutem : ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis*
*eſt Dominus ; vos autem genus electum, regale Sacer-*
*dotium, gens ſancta , populus acquiſitionis, ut virtutes*
*annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admira-*
*bile lumen ſuum. Qui aliquando non populus Dei, nunc*
*autem populus Dei , qui non conſecuti miſericordiam;*
*nunc autem miſericordiam conſecuti. Chariſſimi obſe-*
*cro*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ero vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent DEUM in die viſitationis.*

Quare & adhortetur eos, ut exuti veterem hominem, omnibus membris purificentur, omnes ſenſus purgent; hoc eſt, omnia membra, ac ſingulos corporis ſenſus, cunctaſque paſſiones mortificent, ac induentes novum hominem, renoventur ſpiritu mentis ſuæ, quemadmodum etiam docet Apoſtolus 1 *Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextra DEI ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in DEO. Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* 2 *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Propter quæ venit ira DEI ſuper filios incredulitatis; in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viveritis in illis. Nunc autem deponite & vos, omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro; nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem Dei, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum, ubi non eſt maſculus, & femina, gentilis & Judæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Induite vos ergo, ſicut electi Dei ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam; ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.*

Coloſſ. 3.
1 Breviar. Rom. leguntur in 2. noctur. Dom. in Albis. Baſil. ſer. 1. de Bapt. p. 2. & ſerm. 2. de Bapt. c. 1.
2 Idem ibidem ſupr.

Oſtendatque eis Catechiſta, ut hujuſmodi mentis renovationem oratione, ac quotidiana virtutum 3 exercitatione faciant. Et ſicut alibi idem monet Apoſtolus 4 *Mundent ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore.* Ac demum 5 ſicut portaverunt imaginem terreni hominis, portent & imaginem cæleſtis: *nam primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis:* qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.

3 Beda in hom. de circ. tom. 7 inter Hiemales de SS. & in hom. in 8. Epiph. Dom. eod. tom. 7.
2. Cor. 7.
4 Baſil. ſerm. 1. de Bapt. part. 2.
1. Cor. 15
5 Pacian. in ſerm. de Bapt. circa fin.

## CAPUT XII.

### De his, quæ vitanda ſunt à Neophytis, & de medijs, ut in propoſito perſeverent.

CUm Dominus præcipiat ut à Pſeudoprophetis caveamus, & Apoſtolus admoneat dicens: 6 *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et in alio loco: *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis:* Et beatus Joannes dicit: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Ideo Catechiſta ſpecialiter moneat Neophytos, tam qui ex Judæis, quam qui ex alijs infidelibus ad Chriſtianam fidem venerunt, ut quorumvis 7 Hæreticorum, Schiſmaticorum, & à fide Apoſtatarum ſocietatem, converſationem, & familiaritatem omnino vitent & fugiant.

6 S. Baſil. ſerm. 1. de Bapt. par. 2.
Matt. 24 & Marc. 13. & Lucæ 21.
Galat. 1.
2. Theſſ. 3
2. Joan.
7 Pacian. in ſerm. de Baptiſ. prope fin. item de hujuſmodi peccatis à Chriſtiano vitandis Epiph. l. 3. contra hæreſ. tom. 2. ad fin. Item Aug. ſerm. 163. de tempore alias ſeptima Dom. in octavis Paſchæ ſuperius cit. to. 10. c. Vos ante omnia. de conſ. di. 4.

Et ne cum Galatis redargui mereantur ab Apoſtolo dicente in 4. Cap. *Nunc autem cum cognoveritis DEUM, imo cogniti ſitis à Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis? Dies obſervatis & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Superſtitiones & cæremonias omnes Judaicas, Mahometicas & Ethnicas, nefarias ſuffumigationes, thurificationes & obſequia, quæ dæmonibus exhibentur, ac omnem magiam, ſortilegia, veneficia, & incantationes horreant. Aſtrologiam judiciariam, vanas dierum, ſyderum & ſimilium obſervationes, ligaturas, amuleta, chartulas, quas *Brevia* vocant, incognitos characteres, & ſigna continentes, numiſmata magica, phylacteria, & alia ſuperſtitioſa, quæ aut collo appenſa, ac quovis modo alligata deferuntur, pariter vitent, & rejiciant: nec non blaſphemias, perjuria, falſa teſtimonia, crudelitatem, rixas, pugnas, cædes, ac omnem iniquitatem, adulteria, ſcortationes, fornicationes, & petulantiam, ceteraque vitia carnis & ſanguinis.

Abſtineant 8 à theatris, ſpectaculis, publicis ludis, torneamentis, tauricidijs, & venationibus periculoſis, à geſticulationibus, & actibus mimorum & meretricularum, ab obſcænis cantibus, & comœdijs, ac repræſentationibus, & ſaltationibus inhoneſtis & impudicis, atque virorum effœminatorum choreis, quæ ſunt diaboli 9 pompæ, quibus jam abrenuntiarunt.

8 Epiph. ubi ſupra, & Cyril. Hieroſ. Catech. myſtagog. 1.
9 Idem Cyril. ib.

Vitent item omnem maledicentiam, detractionem, pugnas & contentiones verborum, injuſtitiam, avaritiam, uſuras, & omne genus fraudis, & illicitæ negotiationis, omnia denique crimina & peccata, tam in ſe quam in alijs 10 execrentur, & caveant, omnique ſtudio & conatu curent ſe cuſtodire immaculatos ab hoc ſæculo.

10 S. Baſil. ſerm. 1 de Bapt. par. 2.

Monendi item ſunt, ut de rebus turpibus, obſcænisve ſermones non miſceant, mala & ſuſpecta colloquia fugiant, cum ut inquit ille, *Corrumpunt bonos mores, colloquia mala.* Sed nec fabuloſa, inutilia, vana, aut otioſa loquantur verba: nam & de his ratio reddenda eſt: Ut enim ſalvator noſter ait, *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicij.*

1 Cor. 15
Matt. 12.

Sed 11 & malorum Chriſtianorum familiaritatem vitare eos oportet. Admoneanturque non quicquid à malis Chriſtianis fieri viderint, id licite & impune fieri poſſe, ſeque bonos non malos imitari debere exiſtiment, quin potius, Religioſorum & piorum hominum exempla ſectentur, eorumque conſuetudine frequenter utantur.

Acut divino auxilio à mundi illecebris & vitijs ſe contineant, atque in bonis operibus, & gratia Dei, & in vita ſpirituali indies proficiant; præmoneat eos, quomodo divina ope bene vivere, in gratia ſe conſervare & vitare peccata poſſint, & debeant, nimirum mortificatione membrorum,

11 S. Aug. ſupra cit. ſer. 164. de tempore ſeu octava Dom. in octavis Paſchæ: ad baptizatos, ut bonos, non malos, in Eccleſia imitentur tom. 10.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vitæ abſtinentia, ſtudio orationis, & bonorum operum, Sacramentalis confeſſionis peccatorum, & ſumptionis ſacræ Euchariſtiæ frequentatione, ac demum aſſidua memoria mortis, & noviſſimorum, juxta illud Sapientis: *In omnibus operibus*

Eccli.7. infin. *tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Inprimis vero, ut peccatorum cauſas & occaſiones fugiant: tum Confeſſarium ſibi deligant probatum, virum ſpiritualem, & pium, cui omnia peccata & culpas ſuas ſincere confiteantur, ac omnes cordis ſui concupiſcentias, animi paſſiones, tentationeſque liberè aperiant, cujus conſilio in via Domini dirigantur. Quamobrem de modo confitendi, & ſe in hoc ſacramento exercendi poſt Baptiſmum inſtruendi ſunt.

Sanctiſſimum vero Euchariſtiæ ſacramentum frequenter, aut ſaltem ſemel in menſe, de ejuſdem Confeſſarij conſilio, ſumant.

## CAPUT XIII.

### De conſilijs alijs circa Neophytorum inſtitutionem, præcipuè de eleemoſyna.

MOneantur, ut de tam ſingulari magnoque beneficio per Baptiſmum accepto ingrati non ſint, ſed DEO gratias perpetuò agant, quod

1 S.Clem Rom. l.7. conſt. Apoſt.c. 39. quomodo oporteat Catechum. inſtitui. Epheſ.2. 1.Joan.3

ab errore 1 & vanitate ad agnitionem veritatis, è tenebris in lucem, ab impietate ad pietatem, ab injuſtitia ad juſtitiam, à ſervitute peccati in gratiam DEI, à diaboli tyrannide in libertatem filiorum, & à morte perpetua in vitam æternam eos eruere, & revocare, atque è filijs iræ filios adoptionis efficere dignatus ſit. Ac ſæpe recolant & expendant id, quod ſcribit ſanctus Joannes Apoſtolus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij DEI nominemur & ſimus.* Cum autem ipſi Dei beneficio, & ſancti Spiritus afflatu, Chriſtique fidelium opera, fidei veritatem agnoverint, eandem in proximos ſuos, & ſuæ nationis homines vicem rependant, ac orantes pro illis nullam prætermittant occaſionem, qua illos in Domino lucrari poſ-

Eccl.17. ſint; *Tum quia unicuique mandavit DEUS de proximo ſuo;* tum, quia ex eorum converſione quam procurant, & ipſi æternam ſalutem & gloriam eo majorem, & cumulatiorem conſequantur, mo-

1.Tim.4. nente Paulo: *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos, qui te*

Jacob.5. *audiunt.* Et Jacobo: *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Inculcetur eis, ut ſemper benedicant Dominum, ſicut Tobias docebat filium, dicens: *Omni*

Tobiæ 4. Pſal.33. *tempore benedic Dominum DEUM; & pete ab eo, ut vias tuas dirigat; & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Et ſicut David: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo,* & alibi ſæpè: atque omnia in nomine Domini faciant, juxta ea, quæ monet Apoſtolus Coloſſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri JESU Chriſti facite, gratias agentes DEO,*

2 S.Baſil in ſæpe citato ſer.1. par.2.

*& Patri per ipſum.* Et iterum 1.Cor.10. 2 *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Ac ut de temporalibus bonis, & ſæculi hujus commodis atque divitijs anxij non ſint, neque nimis ſoliciti, dicente propheta: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Et rurſus: *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Hinc & Dominus in Evangelio ſuos diſcipulos inſtituens dicit: *Dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima* Matth.6.
*plus eſt quam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?* & Lucæ 12.
*Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam cubitum unum? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua, coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Si enim fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, DEUS ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: Scit enim Pater veſter, quia omnibus his indigetis. Quærite ergo primum regnum DEI & juſtitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.* Et infra poſt aliqua: *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs ve-* Matth.7.
*ſtris; quanto magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bo-* Lucæ 11.
*na petentibus ſe?* Et Apoſtolus Paulus monet: *Nihil* Philip.4.
*ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud DEUM.*

Ideoque admoneantur, ne 3 quæſtibus, aut 3 S.Cyril
turpibus lucris inhient, neve nimio divitiarum de- Hieroſol.
ſiderio, ſed ſua tenuitate, ſeu ijs bonis, quæ Dei be- in Proca-
nignitate obtinent, contenti ſint, ne in laqueos techeſ.
Diaboli incidant. Ut enim ait Apoſtolus: *Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intuli-* 1.Timo.6.
*mus in hunc mundum, haud dubium, quia auferre nec quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

Qui vero divites ſunt, aut facultatibus præ- Pſalm.61.
ſtant, moneantur, ut juxta Pſalmographum, *nolint ſperare in iniquitate, neque rapinas concupiſcere, & divitiæ ſi affluant, nolint cor apponere:* ſed indigentibus, viduis, pupillis, orphanis, & alijs pauperibus ſubveniant, benefaciant, & eleemoſynas erogent hoſpitalibus, Xenodochijs, Noſcomijs, & alijs pijs locis opem ferant, & pecunias ſuppeditent, ac alijs 4 Aug. vel
4 miſericordiæ operibus indeſinenter inſiſtant: alius au-
quoniam ſicut beatus Jacobus ait: *Religio munda &* thor de
*immaculata apud DEUM & Patrem hæc eſt, Viſitare* fide ad
*pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immacula-* Petr.c.3.
*tum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Et ſicut ſcriptum eſt in to.3.ib.
lege: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* c.3. nam
*Idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo* & illi qui
*egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* Et Do- benefaci-
minus noſter in Evangelio confirmat: *Semper enim* unt, &c.
*pauperes habebitis vobiſcum, & cum volueritis poteſtis* Jac.1.
*illis benefacere.* Deut.15.

Et alibi: *Omni petenti te tribue.* Et rurſus: *Eſtote* Lucæ 6.
*miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Item Ibidem.
*date, & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam,* Ibidem.
*& coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum* Actor.20.
*veſtrum.* Item: *Beatius eſt magis dare quam accipere.*

Eccli. 4.

Et Eccli. dicit: *Filij eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas à paupere. Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua*, & quæ ſequuntur. Et iterum: *Exorare, & facere eleemoſynam ne deſpicias.*

Eccl. 7.

Eleemoſynam autem non ex inani gloria, nec ad captandam popularem auram, ſed recta animi intentione, ad Dei gloriam, & proximi ſublevationem faciat: quomodo Dominus in Evangelio docet. *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua; ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Matth. 6.

1 Lucas de Penna in Rub. C. de valid. mendican l. 2. & ex eo Guil. de Rovil. in compendio deſcript. Juſt. atque Injuſt. l. 2. c. 12. Tradunt eleemoſynam decem bona conferre quæ explicant.

Ac doceantur, 1 quantæ virtutis, quantique pretij & meriti ipſa eleemoſyna ſit: inprimis vero quod iratum propter peccata DEUM placatum reddat, & peccatorum pretium & compenſatio fiat, juxta conſilium Danielis cap. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Et Dominus dicit: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: quin & peccata ipſa extinguat, & abluat. Eccli. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis, & DEUS proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam. Meminit in poſterum, & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum.* Et Dominus Luc. 11. *Quod ſupereſt*, inquit, *date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

Matth. 5. Tob. 4.

Sed & DEUM miſericordem & benignum retinet eleemoſyna, ac ab omni peccato, & æterna morte liberat, juxta Tobiam dicentem: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonorum tibi theſaurizas in die neceſſitatis; quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram DEO eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Et ipſum Tobiam alloquens Archangelus Raphael confirmat: *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna, magis quam theſauros auri recondere, quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam*: Et Sapiens dicit: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemoſyna viri, quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis, quaſi pupillam conſervabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput illorum. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam adverſus inimicum tuum pugnabit.*

Tob. 12. Eccli. 29. Ibid.

Sed & eleemoſynis velut ſacrificio quodam DEUM ipſum promeremur, juxta Apoſtolum dicentem: *Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hoſtijs promeretur DEUS.*

Hebr. 13.

Et id quidem, ſi ab alijs, qui ſunt in ſtatu gratiæ, vel in charitate fiant: alioquin, ut dicit idem Apoſtolus: *Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; ſcilicet ad æternam vitam promerendam, quamvis & ad ſe diſponendum ad gratiam, & ad alia multa valde utilis ſit; Angelo teſtante, dum dicit, *Corneli exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu DEI.*

1. Cor. 13. Act. 10.

# CAPUT XIV.

## De abſtinentia à cibis prohibitis.

2 Cyrill. Hieroſ. in Catech. 5. de 10. dogm. ad illumin.

MOnendi item ut Chriſtianam modeſtiam tenentes 2 amictu ſimplici, non ſuperfluis veſtibus, ad mollitiem & vanitatem, ſed modeſtis ad corporis neceſſitatem utantur; memores eorum, quæ ſcriptura Eccli. 11. dicit: *In veſtitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.*

3 S. Cyril ubi ſupra, catech. 4. Auguſt. ſive alius author de fide ad Pet. c. 3. tom. 3. & idem eod. lib. cap. 42. 1. Tim. 4. Tit. 1.

Quia vero Judæi, & Mahometani à quibuſdam cibis velut immundis abſtinent vel eos etiam abominantur, ut carnes ſuillas & ſimiles, vel quæ eorum more non fuerint præparatæ: ideo qui ex eis venerint Neophyti, edocendi ſunt, 3 omnes cibos, omniaque eſculenta munda eſſe, & bona, & nihil eorum à fidelibus rejiciendum. *Cuncta* Gen. 1. *enim quæ DEUS fecit, ſunt valde bona*, ipſeque Gen. 9. poſt diluvium omnia, quæ moventur & vivunt quaſi olera virentia tradidit hominibus in cibum: *& cibos*, dicit Apoſtolus, *Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione Fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et alibi: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum & mens, & conſcientia.*

4 S. Aug. cit. c. 42. de fide ad Pet. 5 S. Cyril ubi ſupra.

Verum Chriſti fideles ad carnis macerationem, & ſenſuum mortificationem ab aliquibus cibis, ut carnibus, ovis, caſeo, lacte & ſimilibus quandoque abſtinere, ut Quadrageſimæ, quatuor temporum, vigiliarum, aliorumque jejuniorum ex præcepto Eccleſiæ, aut alijs diebus ex inſtituto regulari, aut peculiari voto vel devotione, vel à carnibus tantum, vel ab ijs omnibus feria quarta, ſexta, & Sabbato, pro conſuetudine Eccleſiarum, ac 4 nonnullos Dei ſervos etiam perpetuo ab ejuſmodi eſcis, & vino ex voto, vel inſtituto ſimiliter abſtinere tanquam à fortiori cibo, & potu pro ſola corporis caſtigatione, non quod eas damnent, aut tanquam immundas reſpuant, aut abominentur, 5 ſed quod præmium expectent, ut ſenſibilia deſpicientes ſpirituali deinceps & cæleſti menſa fruantur.

6 Dicitur de Encratitis Tatiano, Severianis, Manichæis, & ſimilibus. Dicitur de Lateranis & recentioribus hæretic. 1. Tim. 4. Rom. 14. 7 Beda in præcit. hom. in oct. Epiph. 1. Cor. 5.

Hæreticos autem fuiſſe, & eſſe, & hos etiam maximè vitandos, qui vel 6 cibos tanquam vera creatura Dei non eſſent, damnant, aut illis tempore debito veſci prohibent, vel 7 ijs abſtinentiæ, & jejuniorum poſthabita diſciplina quibuslibet diebus ſine delectu & indifferenter utuntur; immemores eorum, quæ dicit Apoſtolus. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax, gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſervit Chriſto & placet Deo, & probatus eſt hominibus.*

Proinde abſtinentiam & ſobrietatem ſectentur, gaudientes eundem Apoſtolum, qui de ſe dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

# CAPUT XV.

## De honore & reverentia filiorum in parentes, feminarum in viros ſuos, & ſervorum in Dominos.

QUi parentes fideles habent Neophyti, doceantur eos honorare, juvare & fovere, illiſque obſequi, parere & obedire, ut naturali Jure tenentur, quod ſibi fuerint 1 cauſa vitæ. Et Dominus præcipit in Decalogo dicens: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus DEUS tuus dabit tibi.* Et iterum in innovatione legis: *Honora patrem tuum & matrem, ſicut præcepit tibi Dominus DEUS tuus, ut longo vivas tempore, & bene ſit tibi in terra, quam Dominus DEUS tuus daturus eſt tibi.*

1.S.Tho. 2.2.qu. 122.art.5 Exod.20. Deut. 5.

Proinde filij caveant, ne violata naturæ & Dei lege, impias manus in Patrem vel matrem injiciant, nam & in tales ſceleratos filios, DEUS etiam temporalis mortis ſupplicium comminatus eſt: ita enim in Exodo mandavit: *Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem morte moriatur.* (Exod. 21.)

Sed nec maledicta quidem in parentem proferant: nam & eadem divina lege dicitur: *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* (Ibidem.) Et rurſus in Levitico: (Levit.20.) *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: Patri matrique qui maledixerit ſanguis ejus ſit ſuper eum.* Et hoc ipſum Chriſtus Dominus in Evangelio refert. (Matt.15.)

Contra vero commoneat eorum parentes, ut & ipſi ſuos filios in diſciplina, atque in timore Domini educare ſtudeant, illoſque benignè ac paternè tractent; non ſævientes in illos, ne nimium timidi aut puſillanimes reddantur; neque nimium durè aut aſperè agentes cum ipſis, ne ad iracundiam vel indignationem provocentur, neve ſic provocati in aliquam deſperationem inducantur: quemadmodum idem docet Apoſtolus, tum ad Epheſios dicens; *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.* Tum ad Coloſſ. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Ita Abel, Seth, Iſaac, Jacob, Joſeph, Beniamin, filij Job, Tobias, fratres Machabæi, & alij juſti in ſancto Dei timore & amore à ſanctis Patriarchis & viris pijs ſuis parentibus educati ſunt. Sed etiam docebit, quod ijs, qui loco parentum ſunt honor, obedientia, reverentia debentur, præſertim vero Dominis ſacerdotibus, Epiſcopis ſcilicet & Presbyteris, qui ſpirituales Patres ſunt, nec non Clericis & Religioſis viris, ac ſervis DEI, & de ſacerdotibus quidem in Eccleſiaſtico ſcriptum: (Eccli.7.) *In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica, in omni veritate tua dilige eum, qui te fecit: & miniſtros ejus ne derelinquas. Honora DEUM ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem ſicut mandatum eſt tibi primitiarum, & purgationis,* &c. (Levit.2. Malach.2) Et apud Malachiam: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt:* Et in Evangelio Dominus de correptione fraterna loquens dicit: (Matth.18) *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Et Apoſtolus: (1.Tim.5.) *Qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Et iterum: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Et infra: (Hebr. 13.) *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* 2 De omnibus vero tam ſacerdotibus, quam alijs Dei miniſtris, & ſervis ita idem Dominus dicit: Matt. 10. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit juſtum in nomine juſti mercedem juſti accipiet.* Et quicunque *potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Et iterum *Quicunque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit, & quicunque me receperit, recipit eum, qui me miſit.* Ac rurſus: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Item, *Amen amen dico vobis, qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me miſit.* Et Apoſtolus docet: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis; niſi ut invicem diligatis.*

2 Plura ad hoc de honoran. dis Epiſc. & ſacer. dotibus habes Grat. diſt. 96.c. Quis dubitet, in princ. cum ſeq. in fin. & 11.q.3 c. Statuatem, cum tribus c. ſeq. & in Decr. de majorit. & obed. fere per totum.

Mulieres admoneat, ut 3 humiles, verecundæ, ſobriæ, caſtæ, & modeſtæ ſint; & juxta verbum Dei dicentis primæ parenti noſtræ Evæ Geneſ. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Viris ſuis in omnibus ſubjectæ, in Eccleſijs velato capite orent, & taceant; domi autem diſcant à viris ſuis: fucos, pigmenta, capillaturas, cincinnos, & omnem ſuperfluum ornatum vitent, ut ſe verè pompis diaboli in Baptiſmo abrenuntiaſſe oſtendant, & mulieres infideles ex earum pia, & ſancta converſatione ad Chriſtianam fidem amplectendam provocentur.

Luca 9. Luca 10. Joan. 13. Rom. 13. 3.Bellarm. hom. de Circ. Dom. tom.7. inter hymnos les de 13.

Viros autem doceat, ut uxores ſuas, ut corpora ſua diligant, illis adhæreant, cum eis cohabitent, & non ſint amari ad illas; cum inter legitimos Conjuges fideles matrimonium magnum ſit ſacramentum in Chriſto & Eccleſia, ac divina & naturali lege individua & perpetua vitæ conſuetudo atque vinculum indiſſolubile eſſe debeat: quemadmodum dixit Adam, cum Evam è ſua coſta ædificatam, & à Domino ad ſe adductam agnovit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* (Geneſ.2. ad finem.) *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Et Dominus noſter in Evangelio confirmavit: (Matt.19 & Marc. 10.) *Non legiſtis*, inquiens, *quia qui fecit hominem ab initio maſculum & feminam fecit eos. Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Et *erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* (Epheſ.5.) Sed & Apoſtolus fuſius eadem docens ait: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.*

Ac ſubinde ipſi viri ſciant cum legitimis uxoribus ſuis ſe perpetuo permanere debere, nec eas dimittere, aut deſerere eas ſibi fas eſſe: neque etiam apud Chriſtianos repudium, aut divortium locum habere, niſi ex cauſa fornicationis, ſive adulterij quoad tori ſeparationem, ut Dominus & Salvator in monte docuit: (Matth.5.) *Dictum eſt autem, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis; quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.*

Quamobrem admonendi ſunt, ut uxoribus debitum reddant, nec invicem ſe fraudent, niſi de conſenſu ad tempus, ut orationi, ſeu ſacrorum myſterio-

ſteriorum ſuſceptioni vacent; prout idem Apoſto-
lus Corinthijs reſpondens docet: *De quibus autem*
1. Cor. 7. *ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mulierem non tan-*
*gere; propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam*
*uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.*
*Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor vi-*
*ro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir;*
*Similiter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed*
*mulier. Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu*
*ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in*
*id ipſum; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam*
*veſtram.*

Quocirca exhortandi ſunt viri ad ſervandam,
perpetuoque retinendam pacem, & concordiam
cum uxoribus ſuis, nec tamen indulgeant earum
vanis deſiderijs & voluptatibus, ſed ſatagant, ut
ſint piæ & modeſtæ in omnibus; ut quietam &
tranquillam vitam in mutua charitate ducant, ac
præcipuè Domino placere poſſint, juxta Sapien-
tem cum dicit, *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ*
Eccl. 25. *ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fra-*
Eccl. 40. *trum, & amor proximorum, & vir & mulier benè ſibi*
*conſentientes.* Et rurſus, *Amicus & ſodalis in tempore*
*convenientes, & ſuper utroſque mulier cum viro.*

Servos doceat in ſua vocatione propter Do-
1. Cor. 7. minum permanere debere dicente Apoſtolo: *U-*
*nuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea perma-*
*neat: Servus vocatus es? non ſit tibi curæ, ſed & ſi potes*
*fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus*
*eſt ſervus, libertus eſt Domini. Similiter qui liber voca-*
*tus eſt, ſervus eſt Chriſti, pretio empti eſtis: nolite fieri*
*ſervi hominum. Unuſquiſque ergo in quo vocatus eſt*
*frater, in hoc permaneat apud DEUM;* idcirco. *ut ju-*
*gum ſervitutis libenter ferant, Dominis carnalibus non*
*ad oculum ſervientes, quaſi hominibus ſed ſicut Domi-*
*no, & ob ejus amorem, qui cum in forma Dei eſſet, ſe-*
*metipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimi-*
*litudinem hominum factus, & habitu inventus ut ho-*
*mo: illis in ſimplicitate cordis obediant, ac ſubditi ſint,*
*& ex animo eorum juſſa faciant, in omnibus placentes,*
*non contradicentes, non fraudantes*

Dominos vero, cum ſervi poſt Baptiſmum eis
1 *Apoſtol. ad Philemonem (ubi de Oneſimo dicit)* ut æternum illum reciperes, jam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem maxime mihi; quanto autem magis tibi & in carne & in Domino.
redduntur, aut cum opportunum fuerit moneat, ut
ſervos jam fideles non ægrè, ſed hilariter, ac non
ut ſervos, ſed pro ſervis chariſſimos 1 in Chriſto
fratres ſuſcipiant, & benignè tractent, ac eis quod
benignum, juſtum, & æquum eſt, præſtent; curent-
que ut Chriſtianè vivant, & eos, qui diſcoli fue-
rint, ut filios corrigant, & Chriſtianam charitatem
in omnibus erga eos exerceant. Etenim ut dicit
Apoſtolus 1. Cor. 12. *In uno ſpiritu omnes nos in*
*unum baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive*
*ſervi ſive liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus.* Et
alibi: *Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto JESU.*
Galat. 3. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis,*
*Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus, non*
*ſervus, neque liber, non eſt maſculus neque femina.*

Dominicis & feſtis diebus non permittant il-
los ſervilibus, & mechanicis operibus vacare, ſed
potius juxta divinam legem, & Eccleſiæ præcepta,
eos faciant ab ijs quieſcere, & abſtinere, ad Eccle-
ſias accedere, ſacris Miſſarum myſterijs intereſſe,
verbum Dei audire, frequenter ſua peccata ſacer-
doti Confeſſario probato confiteri: & de ejus
conſilio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum
ſuſcipere, atque alijs pietatis actibus operam dare.
Specialiter tandem dominos doceat, quæ & do-
minis mandat idem Apoſtolus, poſtquam com-
monuit ſervos: *Et vos domini eadem facite illis, remit-*
Exod. 20. *tentes minas, ſcientes quia illorum & veſter Dominus*
Levit. 19. *eſt in cælis; & perſonarum acceptio non eſt apud*
& Deut. 5 DEUM. Et iterum: *Domini quod juſtum eſt, &*
*æquum ſervis præſtate, ſcientes quod & vos Dominum*
*habetis in cælo.* Et quæ Sapiens monet: *Non lædas ſer-*
*vum in veritate operantem, neque mercenarium dan-*
*tem animam ſuam. Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi*
*anima tua: Non defraudes illum libertate, neque ino-*
*pem derelinquas illum.* Et iterum. *Si eſt tibi ſervus fi-*
*delis, ſit tibi quaſi anima tua; quaſi fratrem ſic eum*
*tracta; quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum.*
Tum etiam ad Timotheum: *Quicunque ſunt ſub* 1. Tim. 6.
*jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitren-*
*tur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Qui*
*autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia*
*fratres ſunt, ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt &*
*dilecti, qui beneficij participes ſunt. Hæc doce & exhor-*
*tare.* Tum denique ad Titum: *Servos* (ſcilicet) hor- Tit. 2.
tare *Dominis ſuis ſubditos eſſe in omnibus placentes, non*
*contradicentes, non fraudantes. ſed in omnibus fidem*
*bonam oſtendentes, ut doctrinam ſalvatoris noſtri Dei*
*ornent in omnibus.* Et B. Petrus: *Servi ſubditi eſtote in* 1. Pet. 2.
*omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed*
*etiam dyſcolis. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto*
*JESU.*

## CAPUT XVI.

### De alijs ſervandis circa Neophytos.

IN archivo domus Catechumenorum & Neo-
phytorum habeatur 2 & aſſervetur ſpecialis li-
ber, in quo deſcribantur ſingulorum, qui in ea re-
cepti, vel catechizati, & inſtructi, ſive majores, ſive
minores natu fuerint, baptizati ſunt, nomina, cog-
nomina, patria, & Baptiſmi & Confirmationis
dies, quive eorum in Catechiſmo, Baptiſmo, &
Confirmatione fuêre ſuſceptores.

Sed & ipſorum omnium numerus, ſeu catalo-
gus in eodem libro, vel in alio retineatur.

Ubi vero domus Catechumenorum non ex-
tat, Parochus id faciet in communi libro bapti-
zatorum, & confirmatorum, ac loci Ordinarius
ad futuram Dei memoriam, in actis ſuæ Curiæ
hæc ipſa adnotari mandet.

Et quoniam per gratiam Baptiſmi cives San-
ctorum & domeſtici Dei efficiuntur, longèque
dignius exiſtit regenerari ſpiritu, quam carne naſ-
ci; ideo 3 Apoſtolica authoritate ſtatutum eſt, ut
Neophyti civitatum & locorum, in quibus ſancto
Baptiſmate pro tempore regenerabuntur, verè ci-
ves fiant, & privilegijs, & libertatibus & immuni-
tatibus, quæ alij ratione nativitatis, & originis
duntaxat conſequuntur, gaudeant. Proinde ea de
re Neophyti ipſi poſt aliquot Baptiſmi dies, cer-
tiores fiant, & eorum Præfecti ſeu Parochi, aut
alij, qui ipſis præſunt, curent, ut apud populi ejus
loci magiſtratus inter cives, ſive eorum catalogo
deſcribantur.

Catechiſta aut alius Præfectus Neophytis ſæ-
pius ad memoriam reducat; præſertim vero cum
eos de domo Catechumenorum dimittit, 4 ſpon-
ſionem illam, quam ante Baptiſmum fecerunt, de
abrenuntiando Satanæ, & omnibus operibus ejus,
& omnibus pompis ejus.

Præſcriptis porro diebus elapſis, adulti ſive
majores Neophyti, qui proprias domos habent,
quibuſve ad vitæ ſuſtentationem ſuppetunt facul-
tates, ad eas liberè redire permittantur, dum ta-
men cum Infidelibus non cohabitent, ſed potius
quoad fieri poterit, procul ab eis domos habeant.
Qui

2 *Concil. Tolet. 12. c9. paragr item ut Epiſc. omnes Judæos, &c. ibi & ut poſſeſſiones eorum, vel conditiones in Scriniis Eccleſiæ condant. & Conc. Tri. ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 2. paragr. Parochus antequã.*

3 *Paul. PP iij. in ſuis literis in formæ brevis de Judæis & infid. venient. ad fid. incip. Cupientes Judæos. Datum Rom. apud S. Petrum ab Annulo piſcator. die 21. Mar.* 1542 *Pontif. ſui anno 8. paragr. Et quoniam. ad verbum deſumpto ex PP. Conc. Baſil. ſeſſ 19. in decr. de Iudæis & Neop. paragr. Et quoniam.*

4 *Greg. Naz. orat in Baptiſma, & Baſil. in ſer. 2. de Baptiſ. cap. 1.*

Qui vero domibus & facultatibus carent, donec artificio, vel alicui operi ſe addixerint, aut artem aliquam profeſſi fuerint, aut certum vitæ genus elegerint, aut ſe aliter ſuſtentare valeant, in eadem Catechumenorum domo, vel apud ſupradictas perſonas retineantur. Minores 1 autem apud viros vel mulieres boni nominis, & timentes DEUM, vel in aliquo Religioſo loco, Collegio, Monaſteriove virorum, ſi mares; Virgines, Sanctimonialium aut puellarum: ſi fœminæ fuerint, collocentur, ut ſub eorum, vel earum converſatione, & diſciplina, Chriſtianæ Religionis cultum addiſcant; & tam in fide, quam in moribus inſtituti, in melius proficere poſſint. Deligantur præterea aliqui viri probi, & pij, qui ipſis interim Neophytis indigentibus habitationes, artificia, ſupellectilem, cæteraque alimenta, ac ad vitam neceſſaria, juxta eorum ſtatum, & conditionem, vel de reditibus, prædictæ domus, vel de Chriſti fidelium oblationibus, ſive eleemoſynis ſtudeant procurare.

Verum ſi neque reditus, neque oblationes, aut eleemoſynæ ſatis ſint, locorum Ordinarij, tam de fructibus & proventibus Eccleſiarum ſuarum, quam aliunde eiſdem Neophytis, ne victus inopiam patiantur, donec per ſe ipſos ſuſtentari valeant, providebunt, prout 2 *Innocentius III.* alijque Patres, & ſummi Romani Pontifices ſuis literis mandaverunt.

Quod quidem Sanctus GREGORIUS, 3 Magnus rei Eccleſiaſticæ largiſſimus diſpenſator, pro præclariſſima ſua charitate egregiè præſtitit, ut apparet ex ejus litteris ſcriptis ad Anthemium ſubdiaconum, Cyprianum Diaconum Rectorem patrimonij Siciliæ, & ad Fantinum defenſorem Siciliæ, ubi & 4 auream illam ſententiam pronunciavit, quod non eſſet graviter ferenda diminutio reditus Eccleſiaſtici, propter converſionem Judæorum ad fidem: Nec hoc, inquiens, inutiliter facimus, ſi pro ſervandis penſionum oneribus, eos ad Chriſti gratiam perducamus; quia etſi ipſi minus fideliter veniunt; hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipſos ergo, aut eorum filios lucramur, & ideo non eſt grave, quicquid pro Chriſto dimittimus.

Sed & alij Romani 5 Pontifices, ſe præclarum bonorum operum exemplar præbentes erga pauperes, & alios Neophytos, liberaliter & mirificè hactenus effecerunt, atque noſtris temporibus, tum ex Cameræ Apoſtolicæ reditibus, locis montium, & penſionibus Eccleſiaſticis eorum inopiam ſublevando, tum etiam officijs, militijs, & honoribus illos ornando, præſtare conſueverunt.

Curent etiam ijdem viri pij, ne illi otio, aut ignavia torpeſcant, ſed alicui operi, vel licitæ arti, ſive negotiationi ſe applicent; dum tamen omnino inter Judæos, aut alios infideles proxenetarum, aut quamlibet artem exercere non præſumant.

Hos autem, vel domus Catechumenorum, & Neophytorum Præfectos, alioſve probatos ſacerdotes, & ipſi Neophyti, ut in ſuis neceſſitatibus & caſibus conſulant, monendi ſunt; juxta id, quod ſcriptum eſt: *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.* †

1. Conc. Tolet. 4. c. 59 apud Gratian. 28. q. 1. c. Iud. filios, de quo Iac. Epiſ. Pacen. in inſt. Cath. c. 29. de filijs & minor. n. 8.
2. Innoc. 3. ad Eduen. Epiſc. lib. 2. regeſt. impreſſi tom. 1. & ad Abb. & Conventum S. Mariæ de prato de Leinceſtreto l. 2. regeſt. to. 1. ac Ioan. 22. in Extr. Dignum arbitrantes c. 2. de Iudæis in Extravag. communibus. Et PP. Conc. Baſil. ſeſſ. 19. in decreto de Iudæis & Neop. parag. & quoniam Paulus iij. in dictis litteris in for. brevis in c. Cupientes.
3. S. Greg. l. 3. regeſt. ep. 31. ſeu c. 31. ad Anthem. Subdiac. & l. 4. ejuſd. Regeſti epiſt. ſeu cap. 5. ad Cypr. Diac. Rectorem patrimonij Siciliæ. Facit etiam quod ſcribit idem Greg. l. 7. ep. ſeu c. 2 ad Phantinum
4. Idem Greg. d. c. 50. ep. ad Cypr.
5. S. Greg. Leo X, Paul. 4. Pius 5. Greg. 13. atque alij, ut poſtea Clemens 8.

† Tobia 4.

Et demum in fine Catechiſta benedicat eis, & cum Apoſtolo dicat: 6 *Ipſe autem DEUS pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela, in adventu Domini noſtri JESU Chriſti ſervetur.*

6. S. Cyril. Hieroſ. in Catech. myſtag. 5. 1. Theſſ. 5.

## CAPUT XVII.

### De alijs obſervationibus circa Neophytorum profectum.

Nec propterea, cum ad propria domicilia dimittuntur, ſaltem per annum, in omnimoda libertate relinquendi ſunt: ſed ut Chriſtianè vivant diligens cura habeatur; & ideo à religioſis perſonis ſæpe viſitentur, & in fide confirmentur, ac de eorum vita domeſtici, & vicini eorum percontandi ſunt; An ad Eccleſias accedant; An diebus Dominicis & feſtivis Miſſas audiant, & ſaltem ſingulis menſibus, ſi non frequentius; & præcipuis anni feſtivitatibus confeſſionem peccatorum proprio Sacerdoti, vel alteri ab Epiſcopo approbato eis aſſignato faciant, & ſacram Dominici Corporis communionem percipiant?

Aliquando etiam ad domum Catechumenorum accedant, ut ibi Præfecto domus, aut ipſorum Superiori ſe præſentent, ut vel actionum ſuarum rationem reddant, vel ab eo documenta ſalutis accipiant.

Puellæ nubiles, ut honeſtè nubant eleemoſynarum ſubſidio juventur, & quantum fieri poteſt, non niſi originarijs, & antiquis Chriſtianis matrimonio jungantur. Si quæ monaſterium ingredi voluerint, aut aliter cælibem vitam ducere, eis non negetur, ſed in ſancto propoſito confirmentur, atque ſi in ipſo perſeveraverint, in aliquo religioſo loco, aut monaſterio collocentur.

Decet autem, ut ubi copia Neophytorum eſt, Monaſterium proprium puellarum Neophytarum, ut in urbe erigatur; quarum cura penes moniales originarias, & antiquas Chriſtianas ſit: & ex ipſis puellis, cum ad ætatem nubilem venerint, quæ cælibes eſſe noluerint, nubant; aliæ vero ibidem maneant, cum alijs puellis ſeparatim viventibus.

Similiter & ex Neophytis viris, qui voluerit, vel ducere uxorem, vel aliquam ingredi Religionem, non deſit ei piorum hominum conſilium & auxilium, ut quod ſaluti tum animæ, tum corporis magis conducit, id faciat, & exequi valeat. Et omnino qui præſunt curent, ut is, ſi commodè fieri poteſt, originariam, & antiquam potius Chriſtianam mulierem, quam Neophytam accipiat in uxorem.

Quod quidem & in alijs omnibus Neophytis utriuſque ſexus generaliter, quoad fieri poterit, curandum: Nam cum, 7 experientia teſte, compertum fuerit, mutuam Neophytorum inter ſe converſationem ipſos in fide Chriſtiana fragiliores reddere, ac ſaluti eorum plurimum officere, auctoritate Apoſtolica decretum eſt, ut locorum Ordinarij quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & ſtudeant Neophytos ipſos cum originarijs Chriſtianis matrimonio copulare.

7. Paul. in d. litt. de Iudæis alijs Neophytis, parag. & quoniam experientia. Ex PP. Conc. Baſil. ſeſſ. 19 in decr. de Iudæis & Neop. parag. Et quoniam experientia teſte.

Com-

Commendentur præterea Parochis, in quorum Parochia degunt, ut eorum curam præcipuam habeant; & ab his poſtea viſitatores Neophytorum ad hoc deſignati ſæpe cognoſcant mores eorum, An piè & Chriſtianè vivant; An in Paſchate in parochiali Eccleſia ſacram Euchariſtiam ſumpſerint; An Miſſas & divina officia, ac prædicationes, & lectiones verbi Dei frequentent; & ad doctrinam Chriſtianam audiendam veniant; An vocati ad comitandum Sacerdotem deferentem ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos præſto ſint, & ad alia pietatis opera diligentes: Num in domos eorum Judæi conveniant, aut familiariter commorentur, aut ad eos ventitent: Num inimicitias & diſſenſiones habeant cum alijs Neophytis, aut antiquis Chriſtianis; quas pro ſua prudentia componere ſtudeant, aliaque inquirant, & prout opus fuerit provideant. Quod & ipſi Parochi pro officij ſui munere faciant, ubi domus vel Confraternitas Catechumenorum, & Neophytorum, illiuſque Præfectus & viſitatores non habentur.

Orationi vacent, Officium beatiſſimæ ſemper Virginis DEI genitricis MARIÆ, qui latinè legere ſciunt, & defunctorum, ſeptem Pſalmos pœnitentiales, Litanias, & alias pias orationes & preces, cum eis oportunum fuerit, recitent.

Coronam ac Roſarium ejuſdem glorioſæ & beatæ MARIÆ ſemper Virginis, tam hi qui legere ſciunt, quam qui neſciunt, diſcant, & ſimiliter recitent.

Cum cubitum eunt, & cum è lecto ſurgunt, ſemper ſigno crucis ſe ſignent, ac *Pater noſter*, *Ave MARIA*, & *Credo in DEUM* ſaltem dicant. Antequam cibum ſumant, menſam benedicant, & ſumpto cibo gratias agant.

Cum prodeunt domo, ſignent ſe ſigno crucis, & cum iter aliquod aggrediuntur, eodem ſigno crucis, & oratione ſe muniant.

Cum aliquam Eccleſiam, præſertim celebriorem prætereunt, intrent in eam, aqua benedicta ſe aſpergant, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod in ea aſſervatur, reverenter adorent.

Orantes in Eccleſia DEI utrumque genu flectant, nec in ea exiſtentes collocutionibus, alijſque negotiis vacent, ſed reverenter & devotè ſe habeant, & tota cordis humilitate Dominum deprecentur.

Sæpe autem plebem ſuam Parochus moneat, ut hujuſmodi converſos ad fidem amplectantur, & foveant, benè vivendi eis exemplum præbeant, ab Infidelium, & malorum Chriſtianorum injurijs, qui illis impiè fidem, aut priſtinam infidelitatem exprobrant, defendant; quinimo eos de fide ſuſcepta ſemper laudant, & ut DEO gratias ſemper agant hortentur. Secum eos ducant ad Eccleſias, ad conciones, & ad alia pia loca; Chriſtianos mores, ritus, canonum præcepta, & conſuetudines doceant, ſanctis monitis, & conſilio ſemper adjuvent, in neceſſitatibus eis ſubveniant, ægrotos viſitent, diſcordes concilient, amicitiam cum eis colant, aliquos eorum incultos mores ac defectus ſuſtineant, & tandem quemadmodum cæteros Chriſtianos, ita eos, ut fratres habeant, dilectos concives, & cohæredes Regni cælorum.

## CAPUT XVIII.

### De fugienda omnino Neophytis communicatione cum Infidelibus.

CUm ſæpe [1] malorum conſortia etiam bonos corrumpant, & multo magis eos, qui ad vitia proni ſunt, & Chriſti Fidelibus, præſertim vero Neophytis valde [2] pernicioſa ſit infidelium conſuetudo, illam ij maximè vitare, ac nullum cum Judæis, aut alijs Infidelibus, aut impijs hominibus amicitiam, ſocietatem, aut communionem habere debent: ut à Domino in divinis Scripturis ſæpiſſimè admonemur, dicit enim per Moyſen: Num. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini peccatis eorum*, Et per Iſaiam 48. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis.* Et infra cap. 52. *Recedite, Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*, Et per Jeremiam cap. 51. *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Et per Apoſtolum Paulum, 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit DEUS, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum DEUS, & ipſi erunt mihi populus*, & quæ ſequuntur. Et demum in Apocalypſi cap. 16. *Exite de illa* (ſcilicet Babylone) *populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus; & de plagis ejus non accipiatis.*

Et hæc quidem de impiorum & infidelium conſortio, atque conſuetudine fugienda, non immerito, ſed ex neceſſaria, & manifeſta cauſa periculi ſeductionis, & ſubverſionis fidei, & participationis malorum & pœnarum tradenda ſunt. Scriptum eſt enim: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Quare Neophyti cum Judæis, & alijs infidelibus, nec ſocietates, nec negotiationes quantum fieri poteſt habeant: caveantque juxta Apoſtolum, ne eorum infructuoſis operibus tenebrarum unquam communicent, magis autem redarguant, atque ſe ab illicitis negotijs, & mercaturis tam cum illis, quam cum quibuslibet alijs omnino, ac perpetuo abſtineant.

Catechiſta, & [3] qui ipſorum curam habent, & Diocæſani operam dent, ne cum Judæis, ſeu infidelibus ſaltem per longum tempus converſentur, ne, ſicut quandoque contingit ab infirmitate curatis, modica occaſio ad priſtinam perditionem recidivos efficiat. Et primo præſertim anno poſt Baptiſmum eos non niſi præſente Catechiſta, aut Confeſſario Sacerdote, vel alio antiquo & probato Chriſtiano, ex rationabili vel neceſſaria cauſa & raro, & quam breviſſimo ſermone alloquantur. Illos tamen odio non habeant, nec, ut bonos ſe Chriſtianos oſtentent, aut aliorum Chriſtianorum benevolentiam captent, ac ſibi concilient, eos maledictis inceſſant, aut contumelijs, vel ulla injuria afficiant, memores præceptorum

1 *Conc. Tol. 4. c. 61. apud Gratian. c. ſæpe malorum 28 q. 1.*

2 *Ad idem ſupra de recipien. & inſtruen. Catech. parag. 1. ubi alia authoritas citatur, & parag. Quocirca moneat eos. etiam Baſil. ſerm. 1. de Bapt. p. 2. ad fin. ubi loquitur & de Baptizando & de jam regenerato ut mutet locum & vitæ priſtinæ conſuetudinem, & Chryſoſt. ad pop. Antioch. hom. 22. coll. 2. ubi de priſtinis vitijs, moribus & vita mutandis plenius, &c.*

*Epheſ. 5.*

3 *PP. Conc. Baſil. ſeſſ. 19. in decr. de Judæis parag. Curent inſuper verſ. Et tam ipſi. Et ex eis Paulus Papa iii in ſupra citatis literis de Judæis & alijs venientibus ad fidem ſimili paragr. Curent inſuper verſ. & tam ipſi,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Tobiæ 4.*
*Matth. 7.*

rum legis naturæ: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Et omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ*, ut ait Dominus Quinimo ſibi perſuadeant ea Chriſtianis viris maximè diſplicere, ac meminerint ſe quoque in illis tenebris infidelitatis aliquando fuiſſe; proptereaque eos magna commiſeratione dignos putent, & pro eorum, præſertim vero parentum, liberorum, aliorumque conſanguineorum, affinium & propinquorum, qui in infidelitate remanſerunt, converſione, ſupplices, aſſiduas, ferventeſque ad DEUM preces toto corde effundant; ut & ipſi participes ſint beneficij redemptionis humanæ, quam Chriſtus Salvator noſter pro ſua immenſa in nos dilectione operari dignatus eſt. Sed & erga eos benignitate & Chriſtiana charitate utentes, beneficijs, cum occaſio, vel opportunitas dabitur, illos proſequantur.

Cæterum qui ex Judæis Chriſtiani facti ſunt, cum Judæis, nec verbum quidem Hebraicè loquantur, ſed cum loquendum eis, ut dictum eſt, aliquando erit, loquantur communi lingua, ut ab omnibus poſſint intelligi, niſi ſint viri docti, qui de veritate Chriſtianæ fidei tractantes, vel cum Judæis differentes, ex ſacris veteris inſtrumenti ſcripturis, vel alijs eorum libris, ad ejuſdem fidei confirmationem authoritates, & loca hebraicè proferant, aut recenſeant.

*1. Conc. Tolet. 4. cit. c. 59. apud Gratian. 28. q. 1. c. Judæorum filios.*

*2 Ad idem ſup. t. præced. para. Quod ſi habuerit.*

*3 Sup. eo. t. proximo paragr. Neque filij infantes, & paragr. Lactentium vero.*

*4 Additio decreti ſub Sixto V.*

*5 Calderin, Felin. & quidam alij.*

*6 Sub Sixto 5. die 22. Octobr. fer. 6. 1587.*

Generaliter autem cavendum eſt, ne 1 Judæorum aliorumve infidelium filij jam baptizati, 2 ſive impuberes, ſive puberes ſint, eorum parentibus, conſanguineis, vel affinibus infidelibus poſt Baptiſmum ullo modo reſtituantur, ne illorum involvantur erroribus, aut conſuetudine corrumpantur, aut falſis perſuaſionibus à Chriſti fide deficiant, & ad Judaicam perfidiam, vel priſtinam infidelitatem revertantur. Et ſi ad eos redierint, omnino ab eorum conſortio ſeparentur, & educandi inſtruendive juxta ſexum tradantur, ut ſupra.

Sed & ſi infantes 3 fuerint, idem obſervetur: quinimo etſi lactentes ſint, quos etiam invitis parentibus aliquo caſu baptizatos eſſe compertum fuerit, nec etiam lactandi, aut ad tempus nutriendi, & educandi matribus, ſeu parentibus reſtituantur.

Neque 4 quorundam 5 Juris Canonici interpretum opinio probanda eſt, qui falſis rationibus perſuaſi, infantes ſive impuberes filios Judæorum, vel aliorum infidelium baptizatos, etiam poſt Baptiſmum reddendos, ſeu tradendos eſſe parentibus, vel conſanguineis uſque ad certam ætatem, pro varia ipſorum opinione cenſuerunt. Nam & in Sancta Romana & univerſali inquiſitione 6 adverſus hæreticam & Apoſtaticam pravitatem, ad conſervandam fidei puritatem in pueris baptizatis, ac ad illos in ea rectè inſtituendos, boniſque & Chriſtianis moribus imbuendos, & ne in ipſa educatione, infidelium parentum, vel ſuorum quibuſcum viverent ſuperſtitione, vel perfidia corrumpantur, aut eam cum lacte imbibant, illorum opiniones tanquam falſæ, erroneæ, & periculoſæ una cum earum auctoribus rejectæ, & improbatæ ſunt: ac generaliter Apoſtolica auctoritate declaratum, & decretum eſt, ut pueri, & infantes Judæorum, vel aliorum infidelium, quavis cauſa, vel occaſione baptizati non reſtituantur Judæis, vel infidelibus etiam eorum parentibus, vel conſanguineis, vel alijs quibuſcunque propinquis, quantumvis ſanguine, & quovis gradu conjunctiſſimis, etiam ad tempus, donec adoleſcant, aut infantiam tranſigant, vel etiam donec ablactentur; non obſtantibus prædictis opinionibus quorumvis Gloſſatorum, Canoniſtarum, aut aliorum Doctorum, cujuſvis ſint auctoritatis, aut æſtimationis.

Ac juxta Sacros Canones, neque à Judæis, 7 vel hæreticis xenia, munuſcula, ſeu donaria feſtiva, & quæ olim *Feriatica* vocabantur, neque etiam Judæorum 8 azyma accipiant, aut comedant, aut alias communicent impietatibus eorum. Nam & grave peccatum eſt, & in committentes graves etiam pœnæ ſtatutæ ſunt.

Neque 9 Paſcha, aut alios dies feſtos Judæorum, qui jam velut umbræ, & figuræ tranſierunt, cum eis agant, aut obſervent, neque ad eorum, imo potius Satanæ Synagogas, ſcenopegia, circumciſiones, aliaſve ipſorum ſolennitates, etiam curioſitatis ſtudio, accedant: neque quicquam cum eis tractent.

Cum ipſis non 10 comedant, neque bibant, 11 neque quidquid comedi aut potari poteſt, à Judæis accipiant.

Neque ad eorum convivia accedant, neque eos ad ſua excipiant, aut invitent. Quod omnibus Chriſtianis ſacri 12 Canones interdixerunt, quia cum apud Chriſtianos cibis communibus non utantur, indignum eſt atque ſacrilegium eorum cibos à Chriſtianis ſumi; cum ea, quæ Apoſtolo permittente 1. Tim. 4. *nos ſumimus, ab illis judicentur immunda*; ac ſi inferiores incipiant eſſe Chriſtiani, quam Judæi, ſi nos, quæ ab illis apponuntur, utamur: illi vero à nobis oblata contemnant.

Cum eis non 13 cohabitent, nec ullam familiaritatem habeant, ad eorum domos, vel hoſpitia non adeant aut divertant, nec cum eis pernoctent.

Nec viciſſim illos ſinant familiariter ad ſe venire, aut ſuas domos intrare.

Neque etiam cum ipſis in 14 balneis lavent, ludant, ſaltent, aut tripudient.

Sed nec etiam 15 in morbis, aut infirmitatibus ſuis, Judæos medicos accerſant, neque ab eis medicinas accipiant.

Quocirca in Urbe, juſſu 16 PII Papæ V. Judæis ſub pecuniarijs & corporalibus, nempe publicæ fuſtigationis, & carceris pœnis, etiam iterato inhibitum fuit, ne audeant, aut præſumant Neophytos & Catechumenos utriuſque ſexus, etiamſi pater, mater, frater, aut ſoror, aut etiam filius, vel conſanguineus, etiamſi infantes cujuſvis ætatis, in eorum domibus & habitationibus recipere, & acceptare, neque ibidem cum eis comedere, & dormire, aut ſocietatem, vel negotium aliquod ſeu converſationem cum eis, aut mercaturã aliquam facere, habere aut tenere, neque cũm eis ambulare aut

*7 Can. Apoſt. 69. alias 70. juxta Theod. Balſamonem, & Conc. Laodic. cap. 37. juxta 2. tit. 8 ut. can. Apoſt. 69. ac idem Conc. Laod. c. 38. juxta 2. alia. & 6. Syn. can. 11. & habetur apud Grat. c. Nullus eorum, 28. q. 1. 9 Conc. can. Apoſt. 69. & Laod. concil. 37. & S. Ignat. Epiſtola ad Philipp. [illegible] Conc. Eliber. c. 50. tom. Concil. [illegible] Meten. tom. 4. Conc. [illegible] fitum Gratian. [illegible] S. Ambr. Lucas. 5. [illegible] Et Chryſoſt. [illegible] ad Hebræos cap. [illegible] hom. [illegible] & habetur apud Grat. [illegible] q. 1. [illegible] conviv. [illegible] Auguſt. [illegible]*

Infideles non poſſumus Chriſto lucrari, ſi eorum colloquium vitamus & convivium, unde Dominus cum Publicanis & peccatoribus manducavit & bibit, &c. 11 *Conc. Meten. cit. c. 4.* 12 *Conc. Agaten. c. 40. tom. 1. Conc. & habetur apud Gratian. 28. q. 1. Omnes deinceps. Item Conc. Venet. c. 12 to. 2. Con. Item cit. Conc. Meten. c. 4. Item Conc. Matiſcon. 1. c. 15. eod. to. 2. Conc. Item Conc. Aurelian. 3. 13. eod. tom. 2. Conc. ibi: Item, Chriſtianis convivia interdicimus Judæorum, in quibus ſi forte fuiſſe probantur, annuali excommunicationi pro hujuſmodi contumacia ſubjacebunt.* 13 *VI. Synodus Can. 2. apud Gratian. c. Nullus 28. q. 1.* 14 *Ibid. can. 11. & apud Grat. 28. q. 2. cit. c. Nullus.* 15 *Ibid. can. 11. & apud Grat. 28. q. 1. d. c. Nullus.* 16 *In præcepto ſeu inhibitione vicarij urbis, poſtea edito, die 17. Jul. 1592.*

aut laborare. (Quod & deinceps etiam amplius & gravioribus pœnis mandatum eſt 1.)

1 Ut in edicto Reverendiſſimi Dom. Card. Ruſticucii, vicarij urbis, poſtea edito die 17. Jul. 1592.

Et vice verſa etiam juſſu Domini Papæ Cardinalis 2 Protector, & Judex ordinarius Catechumenorum, & Neophytorum publico edicto vetuit, & prohibuit univerſis Neophytis, & Catechumenis utriuſque ſexus, ne quiſquam eorum cujuſcunque ſtatus & conditionis, audeat, aut præſumat poſt illius publicationem, ſub quovis prætextu, cauſa, vel colore comedere, bibere aut dormire in domibus, vel apothecis Hebræorum, aut aliorum Infidelium, vel alio in loco, intra eorum ſepta; vel illa noctu ingredi, aut in eis pernoctare: ab eis munera aut dona cujuſcunque generis, ne cibos quidem, vel potum, & præſertim azymos panes, & ſimilia, quæ pro eorum ſuperſtitione ſtatis temporibus parari ſolent, accipere. Neque ad eorum convivia & feſta accedere: Neque circumciſioni puerorum eorundem Hebræorum intereſſe: Neque domos, vel hoſpitia, in quibus Judæi commorantur inhabitare; opera medicorum, & ipſorum medelis uti: neque ullam denique cum eis familiaritatem, conſuetudinem & converſationem habere. Quod ut facilius fieri poſſet, vetuit etiam & prohibuit, ne quiſquam prædictorum Neophytorum & Catechumenorum per ſe, vel alium cum illis in mercatura, aut alia negotiatione communicet, vel ſocietatem ineat; imo ſi quam forte cœperit, debeat eam intra octo dies à die publicationis hujuſmodi abſolviſſe, & reſcidiſſe. Præterea ne audeant operari, aut operas ſuas locare in domibus, aut apothecis Judæorum, aut aliorum Infidelium, aut in domibus aliorum, in quibus ipſi Judæi operantur. Prohibuit quoque omnibus & ſingulis Neophytis, ne quiſquam eorum audeat, vel præſumat in domos, aut apothecas ſuas recipere, & familiariter tractare, cum quoquam Judæo, etiamſi pater, mater, frater aut alio conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ſibi conjunctus eſſet in alio quocunque loco, domo, caupona, vel diverſorio cum eis comedere, bibere aut dormire, ſub quovis prætextu, vel colore; neque etiam ad ſua convivia, nuptias, aut feſta illos invitare, aut eorum opera & ſervitio in domibus ſuis uti, ſub pœna viginti quinque Scutorum auri in auro, applicanda domui Catechumenorum.

2 Jul. Anton. t. S. Bart. in Inſul. Presb. Card. S. Sever. vocatus in ejus edict. 18. Jul. 1592.

3 Concil. Tol. 4. c. 61. apud Grat. 28. q. 1. cap. Sæpe malorum 1. Cor. 5. Galat. 5.

4 Apud Gratianum præſertim 28. q. 1. per totum, & de Judæis etiam per tot. & converſ. alibi, & ſupra de Jud. procur. tit. Quomodo in Judæorum & aliorum infidelium exceſſu procedendum ſit.

Ut nulla denique 3 Judæis, præſertim ad Chriſtianam fidem converſis, ſit ultra communio cum his, qui in Judaica ſuperſtitione permanent, ne forte eorum participatione ſubvertantur: cum ſicut dicit Apoſtolus: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpat.*

Ac doceat, ut omnia alia, quæ in decretis & ſacris 4 conſtitutionibus de Judæis, deque eorum uſu & conſuetudine prohibita ſunt, diligenter vitare debeant.

Idem quoque valde curandum eſt & de iis, qui ex alijs Infidelibus & Mahometanis, vel Ethnicis, & gentilibus ad fidem nuper venerunt, ne rurſus illorum erroribus involvantur, ne cum ipſis infidelibus Mahumetanis, Gentilibus, 5 & paganis feſta celebrent, & impietatis illorum ſocietatem 6 habeant.

5 Conc. Laodic. c. 39. tom. 1. Conc.

6 Amb. in Luc. & Chryſoſt. in ep. ad Hebr. c. 11 hom. 25. & extat in decr. c. Ad menſ. 11. q. 3.

Illi ne Pſeudoprophetæ Mahometi ullam prorſus fidem, aut venerationem habeant: Meſquitas autem eorum, & impietatem perpetuò horreant, & deteſtentur.

Hi vero ne diabolo, aut ejus ſimulacris, 7 Idolis, & Sacerdotibus caput aperiant, aut inclinent, neque ullum omnino cultum exhibeant, neque eorum nomen invocent; neque ſerio, vel joco flores, aut frondes ſpargant 8 aut illa ſertis coronent; neque eis ſoli, aut cum cæteris gentilibus clam vel palam thus, odoramenta, munera, aut cibos offerant, aut immolent, vel ſacrificent, aut pateris vina libent, neque coram eis, vel in eorum templis ludant, choreas ducant, ſaltent, aut canant, aut profanas epulas ſumant, etiamſi aliter quam propter credulitatem id ſe facere aſſeverarent.

7 Conc. Elib. c. 1. de his qui poſt Bapt. ſacriſicant. c. 2. de Sacerdotibus gentium qui poſt Baptiſm. immolaverunt, & c. 3. de eiſdem qui munus tantum Idolis obtulerunt tom. 1. Conc.

Cum vero contingit quoſdam, qui ad ſacrum Baptiſma ſponte & voluntariè acceſſerunt, veterem hominem non omnino exuere, ut novo perfectius induantur, ſed prioris quoque ritus reliquias retinentes, Chriſtianæ Religionis decorem tali commiſtione confundere: Prælati Eccleſiarum juxta *Innocentij* Papæ III. ſtatutum in concilio 9 generali veteris ritus hujuſmodi obſervantiam omnimodo tollant, ut quos Chriſtianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas in ejus obſervatione conſervet: cum minus malum exiſtat: *viam Domini non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire.*

8 C. Nemo C. de paganis ubi Valentinianus & Martianus Auguſti plura ex his prohibuerunt.

## CAPUT XIX.

### Quomodo puniendi Neophyti, ſi ad vomitum redeant.

SOlicitè invigilandum erit, non modo Catechiſtis & Præfectis Neophytorum, verum etiam Parochis & Præſulibus Eccleſiarum, & quibuſvis Ordinarijs locorum, ne Neophyti ſive recens, ſive pridem baptizati, Diaboli, aut impiorum hominum ſuaſu, inſidijs, tentationeve aliqua, aut animi imbecillitate ſuperati, à fidei conſtantia & veritate deficiant, aut avertantur, & ad priores vitæ ritus ſuperſtitioneſve redeant, aut declinent. Quare & eis maximè curandum eſt, ut his Neophytis in errores hujuſmodi relabendi omnis occaſio tollatur, & præcidatur; eoſque eorumve mores, vitam, conſuetudines, amicitias & ſocietates explorent, & obſervent, atque ab alijs faciant explorari & obſervari.

Expedit autem, ut & ipſi edoceantur, quod juxta ſacras 10 conſtitutiones, contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierint, vel redierint Judæorum, et-

9 C. 70 tom. 1. Conc. p. 754. quod habetur tit. de Apoſtatis c. Quidam 4. ubi Pet. de Ancar. n. 1. Card. Flor. n. 1. Abb. in princ. Ioan. de Ana. & n. 1. & Marian. Socin. ſin. in princ. quod qui efficitur Chriſtianus debet & compellitur dimittere ritus Judæorum & ſic aliorum infidelium; alioquin eſt Apoſtata ut dicunt ib. Card. Floren. & & Ioan. Iamſi de Anan.

10 *Bonif. VIII. in c. contra Chriſt. de hæreticis in 6 (ubi hæc ad verbum) ita & Greg. X. in lit. ad Inquiſ. hær. ord. Prædic. & Min. incip. Turbato corde audivimus, ſub datum Lugduni Kal. Martij Pont. ſui Anno 2. Clemens iiij in lit. ad Inquiſ. hæret. ord Prædic. & Min etiam incip. Turbato corde audivimus, ſub datum Viterbii. 7. Kal. Aug. Pontiſ. ſui anno 3. Patres Conc. Baſil. ſeſſ. 19. in decreto de Judæis & Neoph. paragr. Contemptores cum 2. ſeq. Paulus iij. in cit. litter. de Judæis & infid. ven. ad fidem, incip. Cupientes Judæos. paragr. Contemptores cum 3. ſeqq. Greg. xiii. in Bulla ſeu conſt. 37. de blaſphemiis & ſceleribus Judæorum per inquiſit. puniendis. Incip. Antiq. Judæorum improbitas ſub datum Romæ apud S. Pet. Anno 1581. Kal. Junij Pontificatus anno 10.*

iamſi ipſi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu (non tamen abſolutè, aut præciſè coacti) baptizati fuerint, erit tanquam contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per Chriſtianos, ſeu Judæos convicti, procedendum. Et ſicut contra fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum; ſic contra fautores, receptatores, & defenſores eorum ſimiliter procedetur.

Quodque Judæi, qui Chriſtianos ad eorum execrabilem ritum, ſeu perfidiam inducere comperti fuerint, juxta 1 eaſdem conſtitutiones ſunt pœna debita puniendi.

Sed & Neophyti, qui ex Agarena, ſeu Saracenica ac Turcica gente, & Mahometana ſecta venerunt, pariter edocendi ſunt, idem ſtatutum 2 eſſe de ijs, qui ad Chriſtianam fidem converſi, ad priſtinam redeunt impietatem, vel de Chriſtianis, qui fidei veritatem abnegantes, ſe damnabiliter ad Mahometicam ſectam transferunt, & contra ipſos tanquam contra hæreticos; & contra fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum procedatur. Et Saraceni ſeu infideles prædicti, qui Chriſtianos utriuſque ſexus ad hujuſmodi eorum perfidiam inducunt, pœna legitima puniantur.

Porro ſi Neophyti in prædictis deliquiſſe, aut ſe ſuſpectos reddere deprehendantur, ipſis locorum 3 Ordinarijs, vel Inquiſitoribus adverſus hæreticam, & apoſtaticam pravitatem, per Civitates, Diœceſes & Provincias inſtitutis deferantur, qui pro ſua prudentia & pietate rationem habentes, quod recens Chriſtiani effecti, & novellæ ſint plantæ, eos ad rectam fidem, melioremque frugem revocare ſtudeant, & juxta exceſſum factorum & perſonarum qualitatem, vel in eos procedant, & animadvertant, vel illos levius, aut acrius, ut res poſtulat, ipſorumque ſaluti magis expedire cognoverint, caſtigent, corripiant & emendent.

Atque ea ratione his, non modo ſemel in priſtinæ infidelitatis errores lapſis, ſicut & cæteris parcitur, verum etiam ſæpius lapſis, ſeu recidivantibus in eoſdem, vel alios errores; ſi tamen verè ipſos pœniteat, & ad veritatis lumen redeuntes, ſinceræ pœnitentiæ manifeſta ſigna dederint, atque in gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ recipi humiliter poſtulaverint, ex auctoritate & indulgentia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, pœna relapſis debita, clementer remitti, & vel in perpetuam, vel in temporalem cuſtodiam, aut in aliam leviorem pœnam, vel in pœnitentias ſalutares factorum, & perſonarum qualitate penſata, mutari conſuevit, aut aliàs cautè providetur.

Quod maximè obſervandum eſt, in ijs qui ingenio rudes, & mente imbecilles ſunt, aut ex gentibus natura varijs, & inconſtantibus progeniti ſunt, quales putantur Mauri, Arabes, Indi, atque alij ſimiles, cum quibus eadem 4 Sancta Sedes ſuper eorum receptione ad pœnitentiam & pœnæ condonatione, ſæpe diſpenſari mandavit.

1 *Cit. ca. Contra Chriſtianos. Sed expreſſius Greg. X. in præcit. lit. Turbato corde. parag. Judæos autem. Clem. iiij. in ſimilibus litteris, Turbato corde. parag. Judæos autem.*

2 *Greg. XI. in ſimil lit. incip. Ad modum dolenter audivimus, datis apud villam novam Avenion Diœceſ. 3. Non Aug. Pont ann. 2.*

3 *Patres Conc. Baſil. in præcit. decr. paragr. Contemptores & paragr. De his omnibus. & paragr. Neophyti vero. Paul 3. in prædictis litteris ſimiliter. parag. Contemptores & paragr Et inſuper de iis omnibus, & paragr. Neophyti vero.*

4 *Scilicet in litteris Apoſtol. in forma Brevis facultatum abſolvendi hujuſmodi Apoſtatas præſertim in Hiſp. Clementis 7. datis die 16. Jun. 1525. Pont. ſui An. 2. & alijs ejuſdem Clem. 7. datis die 2. dec. 1530. Pont. ſui an. 8. & alijs S. Mem. Pauli iiij. datis die 23. Junij 1556. Pont. ſui an. 2. Et alijs Pij iiij datis die 6. Novem. 1561. Pont. ſui an. 2. Et alijs ejuſdem Pij iiij. datis 25. Aug. 1565. Pont. ſui an. 6. Et alijs B. Mem. Pij V. datis die 6. Sept. 1567. Pont. ſui An. 2. Et alijs Greg. XIII. datis die 6. Aug. 1574. Pont. ſui an. 3. (Additio) & alijs Clementis VIII. datis die 31. Maij, 1594. Pontific. ſui anno 2.*

Et ſi quando Neophyti ex Judæis, qui 5 poſtea blaſphemantes, in Chriſtum, Judaicos ritus perpetrare, & abominandas circumciſiones exercere dicuntur, diligenti inquiſitione præcedente per Epiſcopos & Inquiſitores locorum Eccleſiaſtica auctoritate correcti, ad cultum Chriſtianæ Religionis revocentur, ut quos propria voluntas non emendat, animadverſio Sacerdotalis coerceat. Et ſi 6 moniti ſe corrigere neglexerint, & ad vomitum Judaizantes, rediiſſe comperiantur, contra 7 eos, tanquam contra hæreticos procedatur, & ſi in apoſtaſia & perfidia pertinaces fuerint, poſt 8 conſuetas monitiones, & inducias, juxta 9 Canonicas ſanctiones ſæculari poteſtati relinquendi erunt debita animadverſione puniendi.

Filiorum tamen 10 eorundem Judæorum baptizatorum, qui in Chriſtum poſtea prævaricantes, qualibet pœna damnati extiterint, ſi fideles fuerint, ea ratio haberi debet, circa ipſorum habilitatem vel ſucceſſionem, quam Canonicæ & Apoſtolicæ Conſtitutiones mandant.

## CAPVT XX.

### Neophyti ſicut alij Chriſtiani veteris fidei habeantur, & ne priventur publicis honoribus, & dignitatibus.

PArochi vero illos ſæpe viſitent, doceant, moneant, arguant, & paternè corripiant: commendent etiam ipſos alijs Chriſtianis, ut benignè, humaniter, & cum omni charitate cum eis agant, & verſentur, habeantque eos ut fratres in Chriſto, non autem evitent, vilipendant, aut contemnant, vel ab eis abhorreant, quod ex infidelibus nati ſunt, imo majori amore eos diligant, quod relicta infidelitate Chriſtianam Religionem amplexi ſunt: nec 11 propter novam fidei ſuſceptionem inter hujuſmodi noviter converſos ad fidem, & alios Chriſtianos antiquos diſcrimen faciant, nec verbo aut facto contumelijs afficiant, nec affici permittant, ſed pro viribus contradicant, & pro eis ſe opponant, ac prohibeant, & eos omni charitate proſequantur, & demonſtrent ſine perſonarum exceptione, omnes Chriſtianos Catholicos unum eſſe corpus cum Chriſto, † in quo, ſicut dicit Apoſtolus; *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Et iterum, * *Sicut enim corpus unum eſt & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint* mul-

5 *Con. Tolet. 4. cap. 58. 10. Con. apud Grat de conſecr. diſt. 4 cap. Plerumque qui ex Judæis & apud Durandum l. 6. ration. divin. offic. c. 13. ſub num. 23.*

6 *Patres Conc. Baſil. in præcit. decr. de Judæis para. Neophyti vero, & Paulus iij. in prædict. lit. de venientibus ad fidem parag. Neophyti vero.*

7 *Præcitatis c. contra Chriſtianos de hæret. l. 6. & concordant lit. diverſorum Pont. ſupramemoratis, & dec. Patr. Conc. Baſ. & lit. Paul. iij. proxime relatis.*

8 *Cap. Convenientibus verſ. Item Petr. Apocriſarius, 1. q. 7. & faciunt ſupe cit. decretum Patrum Conc. Baſil. paragr. Neophyti vero ibi poſt Canonicam monitionem. Et lit. Pauli iij paragr. Neophyti vero. ibi poſt monitionem canonicam.*

9. *C. ad abolendam & c. Excommunicamus, de hæret. & cit. c. Contra Chriſtianos cum concordantibus.*

10. *Conc. Tolet. 4. c. 60. Tom. 2. Conc. & apud Gratian. 1. q. 4. c. Judæi Baptizati. At de hæreticorum filijs cap. Vergentis de Hæret. c. Quicunque. c. filij, & c. ſtatutum 2. eod. tit. l. 6.*

11 *Ex lit. Apoſt. ſub Bulla Nic. V. approbationis & confirmationis ordinationum & decretorum, Alphonſi, Henrici, & Joannis Caſtellæ & Legionis Regum Anno 1449. Pont. ſui anno 3. Incip. Humani generis inimicus.* † *Galat. 5.* * *1. Cor. 2.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus. Ac rurſus:* *Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus DEUS, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Cum autem Chriſtus ſe ijs communicaverit, & nos ipſis noſtra communicare debemus; & quos Dominus noſter per lavacrum regenerationis ſuo ſanguine mundare, & ſanctificare dignatus eſt, iniquum profecto eſt, ut ſi in aliquo 1 culpabiles non inveniantur, nec niſi ratione originis ſuſpecti ſint, antiqui Chriſtiani eos veluti immundos & indignos ab officijs, honoribus, dignitatibus, & privilegijs, quibus alij Chriſtiani utuntur, & gaudent, arceant, ac matrimonia cum ipſis contrahere nolint, & hujuſmodi alia in illos faciant, quæ alios infideles à converſione plerumque avertunt, & ipſos Neophytos contriſtant: adeo ut imbecilles & debiles in fide quandoque cum ſe deſpectos vident, intrinſecus pæniteat, quod Chriſtianam fidem ſuſceperint, non ſine magno animarum detrimento, & Chriſtianæ Religionis contumelia.

Quare publicè & privatim non modo Parochi, ſed etiam Epiſcopi, & Prælati ſeverè arguant eos, qui novos 2 Chriſtianos ſic deſpiciunt, & contemnunt; qui ve ipſos probris & convitijs inſectantur, aut alias eis contumelias aut injurias inferunt, 3 aut priſtinam conditionem contumelioſe exprobrant, & improbrant, puta vocando eos Judæos, Marranos, vel Turcas, aut Renegatos, quos etiam pro gravitate, aut atrocitate facti coerceant, 4 & puniant, ab alijs ve Judicibus coerceri, & puniri faciant.

Et cum indignum ſit, 5 & nequaquam ferendum, eos qui relicto cæcitatis errore, ad lucem venerunt fidei Chriſtianæ, ab iis, qui in ipſa cæcitate remanent, perſecutiones, contumelias, & injurias pati; ideo multo magis & gravius in Judæos & alios infideles quavis lingua vocantes Neophytos apoſtatas, aut קשׁמדים Meſchiumadim, hoc eſt, perditos homines, aut eis contumelias, injurias, & perſecutiones inferentes animadvertere debent, aut animadverti mandare.

Moneant præterea plebem ſuam Parochi, ut de ipſis, ſi quid viderint eos peccare, non illico ſcandalizentur; cum ideo Neophyti dicantur, quod novæ plantæ ſint, quæ à vento tentationum ſæpiſſimè concutiuntur, & ut parvuli & imbecilles facile cadunt.

Sed potius diligenter caveant, ne qui ex antiquis Chriſtianis malo ſuæ vitæ exemplo recens ad fidem converſos, ad vitia & ſcelera provocent aut adducant.

Verum cum eos delinquere viderint, fraternè corripiant, atque ſi ſæpe moniti non ſe emendarint, tunc ipſorum Epiſcopo, vel Prælatis denuncient, non odio, ſed charitate, ac zelo ſalutis eorum, atque ut illos lucrifaciant, in eis tamen corrigendis, aut puniendis benignius agatur, ne tanquam infirmi pœnarum animadverſione deterriti à fide deficiant, niſi gravitas ſeu qualitas delicti aliud poſtulet.

Sed & cum Sedes Apoſtolica, ex munere ſibi divinitùs commiſſo, paſcendarum ovium & agnorum Chriſti 6 ſpecialiter protegere, & tueri debeat noviter converſos ad fidem; idcirco ut ejus benignitate, & auctoritate foveantur, atque à gravaminibus, injurijs, & indebitis moleſtijs ſubleventur & protegantur, ei pro tempore præſidentes ſummi Romani Pontifices Prælatis, & temporalibus Dominis, ac Officialibus locorum ſæpiſſimè 7 reſcripſerunt & mandarunt, ut eos benignè tractent, charitativè foveant, gratijs & favoribus muniant; ac ne deterioris ſint conditionis poſt Baptiſmum, quam ante: ipſis in perſonis, aut rebus eorum nullam moleſtiam inferant, neque per Judæos, & infideles, aut alios indebitè inferri permittant; quin potius in ijs & alijs ſe favorabiles exhibentes, eos ab injurijs & moleſtijs protegant & defendant, atque in omnibus propitij eis aſſiſtant auxilijs opportunis.

Ac proinde 8 in Lateranenſi Concilio conſtitutum fuit, ut qui ad fidem ſe converterint Chriſtianam, à poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur; cum melioris conditionis eſſe oporteat ad fidem converſos, quam antequam fidem ſuſciperent habebantur: ac Principibus & poteſtatibus locorum ſub pœna excommunicationis injunctum, ut eis portionem hæreditatis & bonorum ſuorum ex integro facerent exhiberi.

Mandent præterea Principes & Domini terrarum, ne Neophyti, & ad fidem converſi tributis, oneribus, vectigalibus, & exactionibus plus ſolito aut æquo graventur, 9 ſed piè & humaniter cum ijs agatur; ne alij infideles, qui ad eandem fidem libenter converterentur, ab hujuſmodi converſione propterea retrahantur.

Quin & Eccleſiarum Prælati, etiam in exigendis decimis 10 ab his Neophytis ſeu converſis, ſic benignè & urbanè ſaltem quoad in fide perfecti & plenè roborati fuerint, ſe gerant, ut ijdem converſi ſe gravatos non reputent; ſed potius benignius tractati alios infideles ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam inducant, & ipſi in ea ferventius perſeverent.

Verum neophytos, ſeu qui nuper Baptiſmate ſunt 11 illuminati ad ſacros Ordines, & ſacerdotium niſi poſt multam probationem promoveri non oportet, ſecundum Apoſtoli regulam, & ſacrorum Canonum 12 cenſuram, *ne in ſuperbiam elati in judicium & laqueum incidant diaboli.*

At ſi eis poſtmodum honeſta vita, probati mores, clara virtus, vel ſpectata pietas, & Religio, ſufficiens doctrina, aliave merita ſuffragentur, & ad majores Ordines, & ad beneficia Eccleſiaſtica, ad 13 Canonicatus quoque, Præbendas & dignitates, etiam in Cathedralibus Eccleſiis (niſi 14 alicujus Eccleſiæ ſpecialis conſtitutio, Apoſtolica auctoritate confirmata, repugnet) atque etiam ad

Ll 2 paro-

*lib. 1. regeſt. impreſſi tom. 1. fol. 281. & ſeq.*

*9 Hæc ponuntur argumento infra citandarum lit. Ioan. 22. 10 Ex lit. Ioan. 22. ad Prælatos Hungariæ, quæ in ſcholiis ad parag. Sed & cum ſedes Apoſt. citatæ ſunt. 11 Can. 3. Conc. Laodic. ex 1. & 3. verſione. 12, Conc. Nicen. can. 2. apud Gratian. diſt. 48. cap. 1. Conc. Laodicen. can. 3. tom. 1. Conc. ex triplici verſione Concil. Arelaten. c. 2. eod. 1. to. Conc. ubi dicitur ordinari ad Diaconatus vel Sacerdotij offic. Neoph. non debere. 13 Cap. Eam te. Ex Innoc. 3. de reſcriptis.*
*14 Vt in Eccl. Tolet. Cordub. & alijs Hiſpan. Quanto vero tempore judicandus ſit aliquis Neophytus, ut poſſit ad ordines & ad alia officia Eccleſiaſtica promoveri, arbitrio prudentis relinquendum eſſe, exiſtimat Suarez tom. 5. diſput. 43. concl. 2.*

**Epheſ. 4.*
*1 Card. Cajet. to. 2. opuſc. 17. reſponſio, reſponſ. 6.*
*2 Ex Nic. V. in ſupradictis lit. Humani generis inimicus. paragr. Ac omnibus ut in eis, & paragr. & quia parum eſt.*
*3 Ex edicto Jac. Regis Arag. confirmato ab Innoc. iiij. parag. Statuimus.*
*4 Ex eiſd. lit. Nic. cit. paragr. Et quia parum eſt. & dict. edicto Jacobi Regis eod. parag. ſtatuimus.*
*5 Ex lit. Latini Cardin. Expoſuit nobis datis Imolæ 14. Martij Pontific. Domini Nic. iii. anno 2. ſupra relatis.*
*6 Innoc. 3. in epiſt. ad Chriſti fideles in Saxonia, & Weſtphalia, & in alia, in Sclavia, (fortaſſe in Sclavonia) & in alia ad Tranſalpiam (fortaſſe Tranſalpinam) conſtit.*

*7 Nicol. 3. ſeu 4. in Bulla incipiente; Vineam Sorec, &c. Joan. 22. citata extrav. Dignum arbitrantes, c. 2. de Iudæis in extrav. communibus. His adde ſæpe citatas litteras Latini Card. Oſtien. Apoſt. Sedis legati ad Inquiſit. Ferrariæ, & litteras ejuſdem Ioan 22. in ejus regeſto apud Biblioth. Vatic. ad Angel. Epiſc. Viterb. datas, Avenion 4. non. Iul Pontific. ſui ann. 6. & alias ejuſdem Ioann. 22 in eodem regeſto ad eundem Angel. Item alias ejuſd. ad Archiepiſ. Epiſ. & alios Eccleſiarum Prælatos in Hungaria conſtitutos, datas Avenion. 8. Id Maij Pontific. ſui an 12.*
*8 Alex. 3. in Co 1,6. Later. c. 26. 10 m. 3. Conc. & habetur c. Iudæi. 2. parag. 1. de Iudæis*

parochiales, & Curatas Eccleſias promoveri non prohibentur. Sed & quandoque quis eorum, vir adeo inſignis, & omnibus qualitatibus abundè præditus eſſe poteſt, ut ei etiam Cathedralis Eccleſia merito regenda committatur, ut & alias factum eſt.

Si quis eorum infirmatur, ſtatim per deſignatos viſitatores viſitetur, & ſubſidio ſpirituali, & corporali, ſi opus fuerit, adjuvetur.

Similiter & aliorum pauperum, & indigentium Neophytorum cura habeatur, ne propter nimiam inopiam aliquando ad ſuos infideles confugere cogantur.

Horum vero indigentium Neophytorum numerus deſcriptus habeatur, ut quolibet menſe, ſaltem aliquid ex pijs fidelium eleemoſynis, vel domûs Catechumenorum redditibus ſingulis tribuatur.

Concedatur autem aliquibus laicis etiam Neophytis, viris probis, ut inter ſe, & cum alijs Chriſtianis collectas faciant, pro hujuſmodi pauperibus adjuvandis.

Cum vero graviter decumbunt, vel ad extremum vitæ finem pervenerint, tunc potiſſimum eos adjuvent, tunc infideles, & alios in fide ſuſpectos ab eis arceant, & ut piè, religioſè ac Chriſtianè Sacramentis Eccleſiæ muniti decedant procurent; ipſorumque animæ in exitu à Parocho ac alijs Presbyteris, & Religioſis Domino commendentur; nec non cum vita functi fuerint, cum 1 hymnis & Pſalmis, ad Eccleſiaſticam ſepulturam de more efferendos curent, ac pro eorum animabus vigiliæ, & officia mortuorum decantentur, atque divinum miſſæ ſacrificium offeratur, & tertio, ſeptimo, vel trigeſimo eorum depoſitionis die, exequiæ celebrentur.

Admoneantur autem, ne 2 mortuos more Judæorum, aut aliorum infidelium ſepeliant, quod ſi unquam hoc facere deprehendantur, ab Ordinarijs locorum, ſeu ab ijs ad quos ſpectat, ipſis ne de cætero faciant, ſub gravibus pœnis prohibeatur.

*1 S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ epiſt. tom. 1.*

*2 Patres Conc. Baſil. ſeſſ. 19. in decr. de Jud. & Neophyt. paragr. Prohibeatur. Et his Neophyt. &c. & ex ijs Paulus III. in lit. de Jud. & alijs infid. venientibus ad fidem. paragr. Et quoniam experientia, &c.*

## CAPVT XXI.

### De obſervandis in ſolenni Baptiſmo circa adultos ex Rituali Cardinalis Sanctæ Severinæ.

GEneralis ſolenniſque Baptiſmus præſertim adultorum, qui benè valent, & incolumes in pacis ſecuritate degunt, non niſi in Sabbato Sancto Paſchæ, & Sabbato Pentecoſtes celebrari debet: ſolenniter enim baptizandis in Eccleſia electis hæc duo tantum tempora, conſtat eſſe legitima, & eadem ab omnibus ex Apoſtolica traditione obſervanda ſummi Romani Pontifices præceperunt.

Qua etiam ratione conſtitutum eſt, ut cum Baptiſmi Sacramentum ſummè neceſſarium ſit, tam parvulis, quam adultis, Baptiſmus ipſe ac etiam Confirmatio non ſolum pueris, ſed & adultis, propter moræ periculum exhiberi poſſint licitè tempore interdicti.

Propterea vigilet Sacerdos, ut ſi qui ex Catechumenis, dum inſtituuntur, fuerint mortis periculo præventi, & in exitu vitæ conſtituti divinam gratiam imploraverint, eorum Baptiſma non differat, ſed ijs illico miniſtret.

Quod quidem generaliter ſollicitèque curandum eſt, ne quorumvis etiam adultorum graviter ægrotantium, venientium ad fidem Baptiſmus nimium differatur, verum quam primum eis exhibeatur, juxta præſcriptum ordinem baptizandi infirmum.

Qui vero in ægritudine conſtituti Baptiſmum perceperunt, ubi convaluerint, fidei ſymbolum, atque alia ſacra myſteria, Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Præcepta Decalogi edoceantur; & in reliqua Chriſtianæ vitæ doctrina rectè inſtituantur: ut agnoſcant gratiam quam acceperunt, & ſciant qualem eos vitam ducere oporteat in futurum.

Quamvis autem Sabbato ſancto Paſchæ, & Pentecoſtes generalis ac ſolemnis Baptiſmi Sacramentum celebretur, non tamen tunc illud omnibus ad fidem ſe venire aſſerentibus paſſim tradi convenit, ſed his dumtaxat Electis, qui ſaltem ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus, atque jejunijs fuerint expiati: quatenus Apoſtolica illa impleatur præceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat eſſe conſperſio.

Verum ſi circa, ſeu poſt tempora Pentecoſtes, cum aliud ſolemne Baptiſma eo anno non eſt celebrandum, aliqui & maximè Judæi converſi fuerint, qui moleſtè ferant, ſuum Baptiſmum uſque in ſequens Paſcha differri, & ad Baptiſmum feſtinare noſcantur, ne longa dilatio eorum poſſit animos revocare, cum ipſis diſpenſari poteſt, ut pænitentia & abſtinentia quadraginta dierum eis prius indicta, aut die Dominico aut celebriore feſtivitate, quæ forſaſſis occurret, omnipotentis DEI miſericordia protegente baptizentur.

Cum illud, quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit (ut Sanctus Cæleſtinus Papa ait) non otioſo contemplemur intuitu, ut ſive parvuli, ſive adulti ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorciſmis & exufflationibus Clericorum, Spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc verè appareat quomodo Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vaſa ejus diripiantur, in poſſeſſionem tranſlata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus: Idcirco Catechumeni ſeu Electi antequam baptizentur, ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi.

Quamobrem caveat ſacerdos, ne ſine ullis ſpiritualium eruditionum præparationibus, ita rudibus & imperitis Baptiſmi ſacramentum tradere præſumant, ut circa ipſos renovandos nihil doctrina Eccleſiaſtica, nihil in exorciſmis impoſitio manuum, nihil ipſa jejunia, quibus vetus homo deſtruitur, operentur.

Hæc autem, quo utilius & fructuoſius circa adultos Catechumenos præſtare valeat, interdum illos, dum ſunt in Catecheſi, vel inter tempora ſcrutiniorum, informare poterit de myſterijs fidei, ac de rebus pertinentibus ad ipſorum ædificationem & profectum, nec non de his, quæ circa ipſos aguntur, veluti de exorciſmis, ſcrutinijs, catecheſi, & gradibus Catechumenorum.

Exor-

*Exorciſmus* quidem Græcè, Latinè dicitur *adjuratio*, ſeu *increpatio* adverſus Diabolum, ut eſt illud *exi ab illo immunde Spiritus*, &c. & illud, *Exorcizo te immunde ſpiritus, in nomine Patris*, &c. Unde exorcizare eſt adjurare, vel increpare. Exorcizatur enim malignus Spiritus, ut exeat, & recedat ab illo plaſmate, quod jam dudum per peccatum primi parentis poſſidebat; quia juxta Apoſtolum, non eſt conventio Chriſti ad Belial, nec ſocietas lucis ad tenebras; egrediantur tenebræ, lux vera Chriſtus ingrediatur, quocirca doceat non creaturam Dei in infantibus, ſeu Catechumenis exorcizari, aut exufflari, ſed illum ſub quo ſunt omnes, qui ſub peccato naſcuntur, Principem peccatorum, ut ei renuntient, atque eruti de poteſtate tenebrarum, in Regnum DEI veri Domini per ſacramentum Baptiſmatis transferantur.

*Scrutinia* à ſcrutando dicta, quantum ad Baptiſmum pertinet, majores noſtri appellaverunt catechiſmos, ſeu catechizationes, interrogationes, examina, exorciſmos ad fidem venientium, & Catechumenorum: quod ita ſcrutarentur, hoc eſt, inquirerent, an ijdem Catechumeni, qui juxta Apoſtolicam regulam prædictam, & exorciſmis ſcrutandi, & jejunijs ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi, Satanæ, & operibus, & pompæ ejus verè abrenuntiaſſent, & apti idoneique eſſent ad Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendum. Scrutinium itaque eſt de fide, & Chriſtiana Religione inquiſitio, quæ fit à ſacerdotibus & Clericis circa eos, qui ad illam ſe venire profitentur, ut ejus doctrina & Eccleſiaſtica diſciplina informentur; quatenus diligenter de ijs perquiſiti, & optimè edocti de die in diem proficientes, idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi, ad quem eſt quaſi iter, ſive præparatio quædam. Fiunt autem ſcrutinia, ut in eis Catechumenorum corda Sacerdotes perſcrutentur, & ſæpius explorent, utrum in eadem fidei doctrina perſiſtant, quàm pridem eos docuerunt; vel adhuc perſeverent ab renuntiare maligno ſpiritui, operibus & pompis ejus; & an poſt abrenuntiationem, ſacra verba traditæ fidei, ac ſymbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendarint, & ne qua radix amaritudinis in eis inſit, neve illis prius ſancta dentur, quam Chriſtiana fides radices in eorum mentibus defixerit.

*Catecheſis* ſive *Catechiſmus* Græcè dicitur *inſtructio*: inſtruitur enim veniens ad fidem Eccleſiaſtico miniſterio, per benedictionem imponentis manum, ut intelligat quis ipſe ſit, quiſve futurus ſit, hoc eſt, ut ex damnabili ſanctus, & injuſto juſtus, & ad extremum ex Diaboli ſervo filius DEI fiat.

Inde qui inſtruuntur, & à ſacerdote audiunt doctrinam fidei, *Catechumeni* dicuntur: Catechumeni autem duobus modis intelliguntur, uno generatim omnes credentes, ſeu credere volentes in Chriſtum, nondum tamen baptizati; altero verò ſpeciatim, qui catechizantur, nondum tamen ad Baptiſmi gratiam feſtinant, ad differentiam *Competentium* & jam inſtructorum.

Ad fidem enim venientium, primus gradus eſt *Catechumenorum*, ſecundus *Competentium*: tertius nuper baptizatorum, ſeu *Neophytorum*.

Licet autem apud priſcos Sanctos Patres, alij eſſent audientes tantum, & alij Catechumeni: hic tamen audientes inter eos, qui ad Chriſti fidem veniunt, juxta aliquorum Patrum ſententiam, non connumerantur: quod ſimpliciter tantum audirent: non autem ad ipſam Chriſti fidem venire, aut in eum credere velle, ſicut cæteri Catechumeni faciunt, apertè profiterentur; atque ideo eiſdem Catechumenis loco & gradu longe inferiores eſſent.

*Catechumeni* ſunt, qui primum de Judaiſmo, vel de gentilitate veniunt, animo & voluntate in Chriſtum credendi. Et quia primum exhortationis præceptum eſt in lege Dei: *Audi Iſrael, Dominus DEUS tuus, DEUS unus eſt*, inde is, cui per Sacerdotem quaſi per Moyſem Deus loquitur, Catechumenus, id eſt, audiens, nominatur, ſcilicet ut unum DEUM agnoſcens, relinquat errores nefarios Idolorum. Sed & de omni infidelitatis ſecta ad Chriſtum venientes Catechumeni dicuntur: Catechumenus quippe Græcè, Latinè *Audiens*, ſeu *Auditor* dicitur, eo quod adhuc doctrinam fidei audit, quæ non libro, aut ſcriptura, ſed verbo ipſi traditur, & ſolo auditu ſuſcipitur; necdum tamen Baptiſmum percepit, ad Chriſtum autem veniens, ideo primum efficitur Catechumenus, ut ab eo per Chriſti gratiam ad fidei novitatem vocato, Dominus cæcitatem cordis, & priſtinam converſationem expellat; ipſe vero audiens à Sacerdote ejuſdem fidei doctrinam credat, credens vero Baptiſmi gratiam conſequi valeat.

Poſt Catechumenos ſecundus *Competentium* gradus eſt: *Competentes* autem ſunt, qui jam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant, & illam petunt, ut & à petendo, Competentes dicuntur, quaſi ſimul petentes, quod poſtquam in fide inſtructi fuerint, ſimul Baptiſmum petant. Nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt, ſunt enim quaſi hoſpites, & vicini Fidelium, foris audiunt myſteria, audiunt gratiam, ſed nondum Fideles appellantur. Competentes vero jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur, id eſt, imbuuntur inſtructione fidei, & Sacramentorum: iſtis enim ſalutare ſymbolum traditur; quaſi commonitorium fidei, & ſanctæ confeſſionis indicium, quo inſtructi cognoſcant, quales ad gratiam Chriſti exhibere ſe debeant.

Hi quoque *Electi* dicuntur, vel quaſi divina voluntate ad fidem, & Baptiſmi gratiam vocati, vel quod ad eam ſuſcipiendam electi ſint, qui in ſcrutinijs habitis idonei comperiuntur, ut ſupra de ſcrutinijs dictum eſt.

*Illuminandi* item vocantur apud aliquos Sanctos Patres, præſertim Græcos, quod per Baptiſmum, quem mox ſuſcepturi ſunt, luce divinæ gratiæ illuſtrati, ac fidei Chriſtianæ myſterijs imbuti plenius illuminabuntur.

Tertius gradus venientium ad fidem eſt eorum, qui jam baptizati ſunt, & *Neophyti* vocantur, quaſi novi Fideles, ſeu nuper renati, ſive recens Chriſtiani effecti: *Neophytus* enim Græcè, Latinè *nova planta* interpretatur.

Catechumeni etſi in Eccleſiam ſemel, dum initiantur, ſint admiſſi, ut in ea verbum Dei audire, ac ſeorſum à Fidelibus orare poſſunt; non tamen ibi publicis divinis officijs, aut ſacris Miſſæ myſterijs intereſſe debent, niſi *Miſſæ Catechumenorum*, quæ idcirco ſic appellata, protenditur ab introitu, uſque ad offertorium incluſivè: tunc enim juxta antiquum morem admoneri, & foras mitti conſueverunt, ita clamante Diacono: *Catechumeni foras exeunto*. Si quis eſt Catechumenus, exeat foras, vel, Si quis Catechumenus remanſit, exeat foras: qua ratione, nec ſacras ordinationes ipſis Catechumenis, ſive audientibus, ſive præſentibus fieri debere ſtatutum eſt. Cæterum nec ad publicam Fi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

delium benedictionem, aut orationem Catechumeni conveniant, ſed in alio loco ſegregati orare jubeantur. In ſcrutinijs autem id, quod in illorum ordine præſcribitur, obſervetur.

Curent autem Presbyteri, & Clerici, ad quos pertinet, ut Catechumeni impuberes, vel adulti memoriæ mandent ſymbolum, quod in tertio ſcrutinio eis traditum eſt, ut illud memoriter reddere poſſint in Sabbato ſancto.

Quod vero in eodem ſcrutinio Presbyter interrogat, qua lingua Catechumeni confiteantur Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, & ſymbolum Græcè, & Latinè illis traditur; id inde factum, tum quod antiquitùs in Romana Eccleſia venientes ad fidem, duabus potiſſimum linguis, nempe Græca, & Latina uterentur, velut quæ tunc in toto orbe Romano vigebant, & frequentius colebantur; tum propter earum linguarum dignitatem, quod reliquis præſtantiores eſſent; tum denique propter myſticam illarum ſignificationem, quod per Græcam ſapientia, per Latinam vero Romanorum potentia, quæ Chriſto ſubjiciuntur, deſignarentur. Proinde Catechumeni, & Infantes, qua lingua Græcane, an Latina Chriſtum Dominum confiterentur, interrogabantur, & utráque eis tradebatur ſymbolum, ex præſcripto Ordinis Romani, qui integrè quoad id repoſitus eſt, non modo propter venerandæ antiquitatis memoriam, verum etiam, ut ſi quando aliqui ad fidem veniant, qui Chriſtum Græca lingua profiteantur, is quoque ordo uſui eſſe poſſit. Ac ſi præſto non ſit Acolythus, qui Græcam linguam calleat, adſit ejuſdem linguæ peritus interpres, qui pro Acolytho ſymbolum ea lingua pronuntiet.

Præterea ſi qui ex his, qui ad fidem veniunt, nec Græcam, nec Latinam, nec vernaculam linguam intelligant, ſed Arabica, Turcica, Perſica, aliave ſimili lingua utantur, per peritos & fideles interpretes, ſymbolum non ſolum, vel Græcè, vel Latinè, ſed etiam propria eorum lingua edoceantur, & illud eis fideliter explicetur.

Ad id etiam operæ pretium eſt ſymbolum Concilij Conſtantinopolitani, quo & ſancta Romana Eccleſia utitur in Miſſa, deſcriptum vel impreſſum habere, Illyrica, Armenica, Chaldæa, Æthiopica, Arabica, & alia ejuſmodi lingua; quod Chriſtianis illarum nationum gentibus, & cunctis Orientalibus, hoc ſymbolum potiſſimum ſit in uſu.

## Ordo Baptiſmi continens brevem exorcizandi methodum, ex Rituali ut ſupra.

CUm Miniſtri omiſſo ſolenni baptizandi ritu, voluerint aliquo breviori uti, accipiant ſequentem. Primum Sacerdos interrogat:

Quî vocaris?

℟. N.

Tum Sacerdos leviter exufflet in faciem ejus dicens:

*Exi ab eo immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto paraclito.*

Deinde pollice faciat ſignum crucis in fronte & in pectore baptizandi, dicens.

*Accipe ſignum Crucis, tam in fronte †, quam in corde, † ſume ſcutum fidei cæleſtium præceptorum; talis eſto moribus, ut templum DEI jam eſſe poſſis.*

*Oremus.*

*OMnipotens ſempiterne DEUS, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui, percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

Poſtea Sacerdos accipiat de ſale, ſpecialiter pro Catechumenis exorcizato, ſi habet; vel ſi non habet & tempus ſuppetit (nam alioquin omittere debet) ita ſalem benedicat.

Benedictio Salis.

*BEnedic Omnipotens DEUS hanc creaturam ſalis tua benedictione cæleſti † in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & in unitate Spiritus Sancti tui, ad effugandum inimicum, quam tu Domine ſanctificando ſanctifices †, & benedicendo benedicas †, Fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.*

℟. *Amen.*

Et de eo jam benedicto modicum accipiens, ponat in ore baptizandi, dicens:

*Accipe ſal ſapientiæ, propitiatus in vitam æternam.*

℟. *Amen.*

Deinde imponit manum ſuper caput ejus, & dicat:

*Oremus.*

*ÆTernam, ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

Item addit ſequentem orationem dicens:

*Oremus.*

*MEdelam tuam deprecor Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, qui ſubvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas: te ergo Domine ſupplices deprecamur, ut hunc famulum tuum N.*

*eruas*

*ernas ab hac valetudine, & non prævaleat inimicus uſque ad animam, ſed ſicut in Job, tentationis terminum pone; ne idem inimicus de anima iſta ſine redemptione Baptiſmatis incipiat triumphare: Differ Domine exitum mortis, & ſpatium vitæ extende, releva, quem perducas ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℞. *Amen.*

Tunc introducat eum in Eccleſiam, dicens:

*Ingredere in templum* DEI, *ut habeas partem cum Chriſto, in vitam æternam.*

℞. *Amen.*

Et introducto ſacerdos imponens manum ſuper caput ejus, dicit Symbolum, & orationem dominicam cum ipſo, vel cum Patrino.

*Credo in* DEUM *Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in* JESUM *Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex* MARIA *Virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus: Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram* DEI *Patris omnipotentis: Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem: Vitam æternam Amen.*

*Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo. Amen.*

Deinde etiam impoſita manu ſuper caput ejus dicit.

## Exorciſmus.

*NEc te latet ſatana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem Iudicij, diem ſupplicij ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi, atque univerſis angelis tuis æternus erit interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem* DEO *vivo, da honorem* IESU *Chriſto Filio ejus, & Spiritui ſancto paraclito; in cujus nomine, atque virtute præcipio tibi, quicunque es Spiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem* DEUS, *& Dominus noſter* IESUS *Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem fontemque Baptiſmatis, dono vocare dignatus eſt; ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. In nomine ejuſdem Domini noſtri* IESU *Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.*

℞. *Amen.*

Tunc ſacerdos digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures, & nares baptizandi, dicens primo ad aurem dexteram.

*Ephpheta*, quod eſt, *adaperire*; deinde ad nares: *in odorem ſuavitatis*; Poſtea ad aurem ſiniſtram: *Tu autem effugare Diabole: appropinquabit enim judicium Dei.*

Deinde interrogat, & Patrinus, vel Matrina reſpondet, ſi baptizandus ſit Infans, ſi autem ſit adultus per ſeipſum reſpondet, dummodo ſciat; ſin minus, ſimiliter Patrinus vel Matrina pro eo reſpondet, ut infra.

N. *Abrenuntias Satanæ?*

℞. *Abrenuntio.*

Et *omnibus operibus ejus?*

℞. *Abrenuntio.*

Et *omnibus pompis ejus?*

℞. *Abrenuntio.*

Poſt Sacerdos intincto pollice in oleo Catechumenorum, ungat infirmum in pectore, & inter ſcapulas, in modum Crucis, dicens:

*Ego te linio oleo ſalutis* † †, *in Chriſto* IESU *Domino noſtro.*

Et loca inuncta, & pollicem ſuum bombaceo vel ſtupa abſtergit.

Deinde veniunt ad Baptiſterium, ubi ſi aqua Baptiſmi defecerit, aut non habeatur, & neceſſitas non adeo urgeat, Sacerdos benedicat aquam benedictione minori, quæ dicitur adſuccurrendum, prout habetur hic in fine.

Hoc etiam neceſſitatis caſu, cum novum adhuc oleum Catechumenorum, vel novum Chriſma Sacerdos non habet, tam in ipſa aquæ benedictione minori, ut notatur in ea, quam in unctionibus baptizandi, veteri oleo & Chriſmate uti poteſt.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque ſi ſimul admittantur, tenente baptizandum, & reſpondente, ut ſupra, Sacerdos interrogat:

N. *Credis in* DEUM *Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ?*

℞. *Credo.*

Sacerd. interrog. *Credis & in* IESUM *Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum?*

℞. *Credo.*

Sacerd. interrog. *Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam?*

℞. *Credo.*

Sacerd. interrog. N. *Vis baptizari?*

℞. *Volo.*

Et Sacerdos urceolo, vel ampulla accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundens intingit caput baptizandi in modum Crucis, ac ſimul dicit:

N. *Ego te baptizo in nomine Patris* †, intingit primo. *Et Filij* †, intingit ſecundo, *Et Spiritus Sancti* †, intingit tertio

Poſtea intincto pollice dextro in Chriſmate, baptizandum linit in vertice in modum crucis, dicens:

DEUS *omnipotens Pater Domini noſtri* IESU *Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis,* † *in vitam æternam.*

℞. *Amen.*

Tum bambacio vel ſtupa pollicem tergit, & imponit albam, ſeu candidum linteolum, capiti infirmi, dicens:

*Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri* JESU *Chriſti in vitam æternam.*

℞. *Amen.*

Et niſi linteolum in loco unctionis Chriſmatis retineatur, donec illa exſiccetur, eodem linteolo, vel bambacio aut ſtupa eam abſtergat.

Deinde det candelam accenſam in ejus, vel Patrini dexteram, dicens:



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Accipe lampadem irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in aula cœleſti.*

℟. *Amen.*

Si plures fuerint baptizandi, vel diverſi ſexus, præcedentes preces in plurali numero, & in ſuo genere dicantur; exufflatione tamen, crucis ſignatione, narium, & aurium tactu cum ſaliva, abrenuntiationis interrogatione, unctione cum oleo ſancto, interrogatione de fide, ipſius Baptiſmi intinctione, Chriſmatis linitione, candidæ veſtis, atque candelæ traditione, exceptis quæ ſingulariter ſuper ſingulos, tum maſculos, tum fæminas, ſi tempus permittat, fieri debent.

Poſtea Sacerdos ſequens Evangelium legere, & ſequentes orationes, vel earum alteram dicere poterit ſuper baptizandum.

*Sequentia Sancti Evangelij ſecundum Matthæum.*

Reſp. *Gloria tibi Domine*, Et interim ſignat librum, ſe ipſum ac baptizandum, niſi ſit adultus, qui ſemet ſignare poſſit.

*In illo tempore: Circuibat JESUS omnes civitates & caſtella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & infirmitatem.*

*Oremus.*

*Omnipotens ſempiterne DEUS, qui regeneraſti famulum tuum N. ex aqua & Spiritu ſancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum: tribue ei continuam gratiam, ad agnoſcendam bonitatis tuæ veritatem. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus ſancti DEUS per omnia ſecula ſeculorum.*

Reſp. *Amen.*

*Oremus.*

*Omnipotens & miſericors DEUS Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut famulum tuum digneris ſerenis aſpectibus tuis præſervare: & cui donaſti Baptiſmi Sacramentum, longævam tribuas gratiam & ſanctitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Reſp. *Amen.*

Si baptizandi plures fuerint, ſuperiores orationes dicantur in numero plurali, & ſi diverſi ſunt ſexus, dicatur, *famulos, & famulas tuas.*

Si Epiſcopus adſit, hoc ordine baptizandus ab eo confirmetur. Ille quidem in habitu decenti, ſive accepta tantum ſtola ſuper rocchetum, aut ſi eſt Regularis, ſuper ſuperpelliceum, ſtans dicat.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum, & terram.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

*Oremus.*

*Omnipotens ſempiterne DEUS, qui regenerare dignatus es, hunc famulum tuum ex aqua, & ſpiritu ſancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum: emitte in eum ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum paraclitum de cœlis, Spiritum ſapientiæ, & intellectus, ſpiritum conſilij, & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis; reple eum ſpiritu timoris tui, & conſigna eum ſigno Crucis Chriſti, in vitam propitiatus æternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus ſancti DEUS, per omnia ſecula ſeculorum.*

℟. *Amen.*

Cum plures ſunt, prædictam orationem dicat in numero plurali & genere proprio.

Tum ſedens accipit mitram, & intincto pollice dextro in Chriſmate faciens crucem in fronte baptizandi, ſic dicat.

*N. Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis* †, (& manu producens ante faciem ſignum crucis ſubjungat) *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

℟. *Amen.*

Deinde genam ejus leviter tangens, dicat.

*Pax tecum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Et benedicat eum dicens:

*Benedicat te omnipotens DEUS Pater* †, *& Filius* †, *& Spiritus ſanctus* †.

℟. *Amen.*

Si ſint plures, dicat in numero plurium, *Benedicat vos*, &c.

Si autem periculum urget, & temporis anguſtia non permittit, omiſſis alijs precibus, faciens crucem de Chriſmate in fronte ejus, abſolutè dicat verba formæ Confirmationis.

*Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis* †, &c. ut ſupra.

Ac demum ſi eſt adultus, aut ea ætate qua diſcernat, etiamſi Epiſcopus deſit, & propterea confirmatus non ſit, ſacram ei Sacerdos exhibeat Euchariſtiam; dummodo ſit jejunus, niſi adeo graviter laboret, ut ei etiam non jejuno in viaticum danda ſit. Communicet autem ei Sacerdos corpus Domini abſolutè dicens:

*Corpus Domini noſtri JESU Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.*

℟. *Amen.*

Poſtremo hortetur Patrinum, vel Matrinam, & qui circumſtant, ut pro ejus ſalute orent.

## Benedictio aquæ Baptiſmi minor, quæ dicitur ad ſuccurrendum.

Cum Neophytum baptizari oportet, ſi aqua Baptiſmi conſecrata defuerit, Presbyter apponat aquam in aliquo vaſe mundo, & benedicat eam, non benedictione majore, quæ fit in Sabbato Sancto, ſed iſta minore, quæ dicitur ad ſuccurrendum, hoc modo.

*Oremus.*

*Exaudi nos omnipotens DEUS, & in hujus aquæ ſubſtantiam tuam immitte virtutem, ut abluendus per eam, & gratiam & vitam mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

Exor-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Exercizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis †, & Domini noſtri JESU Chriſti Filij ejus †, & Spiritus ſancti †: ſi quod phantaſma, ſi qua virtus inimici, ſi qua incurſio Diaboli, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons ſaliens in vitam æternam; & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum DEI vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo, in remiſſionem omnium peccatorum, in nomine ejuſdem Domini JESU Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.*

℞. *Amen.*

Deinde ſacerdos mittat Chriſma in aquam in modum crucis, dicens:

*Sanctificetur & fecundetur fons iſte hoc ſalutifero Chriſmate, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti †.*

℞. *Amen.*

Quod ſi nondum habuerit novum Chriſma, in hujus neceſſitatis caſu vetus poterit adhibere; ſi vero neque novum, neque vetus habeat, omiſſa Chriſmatis infuſione in aquam, cum ea, ut ſupra benedicta baptizet eum qui baptizandus eſt.

## Ordo Baptiſmi tempore neceſſitatis.

SI Baptizandus graviter ægrotet, vel Miniſtri premantur aliqua neceſſitate vel periculo, ita ut perfici non poſſint Exorciſmi ab Eccleſia recepti, omiſſis omnibus, quæ Baptiſmum præcedunt, baptizet eum ut ſupra per intinctionem, ſeu infuſionem aquæ ſuper caput ejus tantum dicens:

*Ego te baptizo In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus ſancti †.*

Et ſi mors inſtet, non ter, ſed ſemel, in modum crucis caput aqua intingat dicens ut ſupra.

*Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Verum ſi aqua Baptiſmi non habeatur, & periculum ſit in mora, ita ut nec tempus ſupperat ad illam benedicendam benedictione minore ad ſuccurrendum, prætermiſſa aquæ benedictione, accipiat aquam ſimplicem, & de ea, ter, vel etiam ſemel tantum, ſi mors inſtet, ut dictum eſt, parvulum vel adultum periclitantem, ſupra caput aſpergat, ſeu intingat, dicens:

*Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. ut ſupra proximè.

Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice in modum crucis dicens:

*DEUS omnipotens, Pater Domini noſtri JESU Chriſti*, &c.

Poſtea det ei candidam veſtem, ſeu linteolum, dicens:

*Accipe veſtem candidam, & immaculatam*, &c.

Et demum candelam accenſam, dicendo:

*Accipe lampadam irreprehenſibilem*, &c. ut ſupra in eodem proximo ordine habetur.

Et ſi adhuc ſuperſtes eſt, & Epiſcopus adeſt, ab eo confirmetur, ut ſupra in eodem ordine. Et deinde ſi eſt adultus, vel in ætate diſcretionis, & morbo non impediatur, communicet.

Sed etſi Epiſcopus adſit, ſimiliter Presbyter ſacram ei communionem, ſeu viaticum præbeat, & hortetur circumadſtantes, ut orent pro eo. Idem quoque ordo ſervetur, ſi parvulus, vel adultus in quovis alio ſupremæ neceſſitatis caſu, aut imminentis mortis periculo fuerit conſtitutus.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# ANIMADVERTENDUM

QVod venerabilis Author noſter ſuperiori Operi præmiſerat, & Romanis typis evulgaverat anno 1610. inſignem Tractatum in quinque partes diviſum, inſcriptum, STIMVLVS MISSIONVM, ſive, *de propaganda à Religioſis per univerſum orbem fide.* In quo de dignitate, præſtantia atque utilitate hujus functionis præclarè diſſeritur, ac demonſtratur, quod animarum cura poſt Eccleſiæ prælatos, præcipuè ad Religioſos Ordines pertineat; ſubjiciturque compendium privilegiorum ac gratiarum à Romanis Pontificibus Regularibus inter Hæreticos & Infideles, in propagatione fidei laborantibus, conceſſarum. Dicaverat hoc opus Paulo V. cui *Thomas* noſter, ob ſuam raram eruditionem, & eximiam divini honoris, animarumque ſalutis zelum, acceptiſſimus fuit.

Verum, quia ea penè omnia, quæ in *prima, ſecunda, & tertia parte ſtimuli miſſionum* pertractat, *libro primo & ſecundo* de converſione omnium Gentium procuranda, & quæ 4. *parte*. in mox ſubjiciendo opere *parte 2. dubio 5*, inſeruit, ſuperfluum erit Tractatum hunc hic adjungere, ne eadem repeti videantur.

Juvabit tamen nonnullos ſubindicare, qui poſt Ven. *Thomam* noſtrum è noſtris, de hoc argumento ſcripsêre. E quibus primus fuit Ven. *P. Hieronymus à Matre Dei*, alias *Gratianus* quondam S. M. TERESIÆ à Confeſſionibus, & Carmelitarum Excalceatorum Provincialis, qui Hiſpano idiomate Matriti edidit Tractatum de miſſionibus inſtituendis ad infidelium & Hæreticorum converſionem, ſub hac inſcriptione, *zelus propagationis Fidei* &c. qui Italicè verſus prodiit Romæ an. 1620. Hic anno 1582. Superior exiſtens in Hiſpania diſcalceat. Carm. miſit diverſos ex illis in Congo & alia Indiarum regna pro converſione infidelium; idem fecit an. 1584. & 1585. miracula quæ ibidem patrarunt, & fructum quem retulerunt converſionis infidelium refert paucis in dedicatoria epiſtola ejuſdem operis.

Hunc ſecutus Ven. P. *Ioannes* à JESV MARIA tres edidit de hoc argumento Tractatus, quorum primus inſcribitur, *Aſſertio miſſionum, & rationum adverſarum reſolutio.* Alter qui in tres dividitur partes, *Inſtructio Miſſionariorum.* Prima pars agit, *de virtutibus, doctrina & moribus pro Miſſionibus requiſitis.* II. Pars, *de modo perſuadendi myſteria Fidei. III de modo perſuadendi temperantiam.* Tertius Tractatus *Liber Miſſionum*, qui etiam bipartitus eſt; *primaque* pars Hiſtoriæ more procurrit: *ſecunda* vero ſummor. Pontificum, & aliorum Principum litteras, privilegia, & alia ejuſmodi ſcripta complectitur. Hoc tamen opus, morte proventus Author abſolvere non valuit. Extant hi Tractatus *Tomo 4. operum ejus* Coloniæ an. 1650. recuſorum.

R. quoque *P. Philippus à SS. Trinitate*, Præpoſitus Generalis Carmelitar. diſcalceat. Congregationis S. Eliæ, in ſua *Theologia Carmelitana*, ſive *Apologia Scholaſtica Religionis Carmelitanæ &c.* Romæ edita an. 1665. *quæſt. 27. & 28.* per 13. Articulos agit de miſſionibus, & inter alia probat & demonſtrat Carmelitas diſcalceatos ſpecialiter laborare & cooperari converſioni Græcorum, Armenorum, Neſtorianorum, Syrorum, Jacobitarum, Sabæorum, ſeu Chriſtianorum S. Joannis, & Chriſtianorum S. Thomæ, fuiſſeque primos, qui in regno Congo fidem Chriſti prædicarunt; pluraque alia adducit miſſiones concernentia, lectuque digniſſima.

R. P. Maurilius à S. Michaele, Gallus zelo ſalutis animarum accenſus ad inſulas Americanas profectus per plures ibidem annos fructuoſe in vinea Domini laboravit; edidit Pariſijs Tractatum *de miſſionibus ad iſtas Regiones*: qui pluries recuſus fuit, & alium *de Fidei Myſterijs* Andegavi an. 1664.

Tandem, ut nunc alios tranſeam, *P. Matthias à Corona* Leodienſis Carmeli alumnus, & ſac. Theologiæ Doctor Pariſienſis, in ſuo vaſto opere inſcripto, *ſanctitas Eccleſiæ Romanæ in Sancto ELIA propheta, Carmelitarum protoparente figurata;* ſive *Expoſitio litteralis, myſtica & moralis à cap. 17. lib. 3. Reg. & reliquorum, uſque ad cap. 13. lib. 4. Reg. incluſive, Hiſtoriam SS. Prophetarum ELIÆ & ELISEI complectens, atque Eccleſiæ Romanæ ſanctimoniam XII. Tomis delineans.* Hic *Tomo VI.* Leodij an. 1675. excuſo, quem totum impendit in demonſtranda Eccleſiam ſanctam à Miſſionibus Apoſtolicis, ſeu ab utilitate ſacrarum miſſionum, & à Miſſionariorum virtutibus, privilegijs, officio & poteſtate, *dividitur hic Tomus in 3. Tractatus.*

VENE-